



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859


Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117867

Liber XLIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)



HISTORIA
ECCLESIASTICA.
LIBER XLIX.

LEO IV. PAPA.
LOTHARIUS I. IMPERATOR OCC.
MICHAEL III. IMP. ORIENT.

§. I.

*Martyres Cordubenses. Aurelius,
Helix, &c.*

Cordubæ necdum persecutionis finis. Sæculum IX.
Aurelius juvenis nobilis & dives, A.C. 852.
patre Musulmanno (*) & matre Eulog. II.
Ll 5 Chri- Mem. c. 10.

(*) S. Eulogius in Memor. Sanctorum pro
Musulmanno semper ponit Gentili.

Sæculum IX. Christiana natus, & utroque in infantia
A. C. 852. orbatus ab amita in Religione Christiana-
 norum piissime educabatur, quamvis eodem tempore cogentibus affinis Arabica literatura imbuendus traderetur; unde multo magis sectæ superstitiosæ falsitatem perspiciebat. Cum igitur cultum Christianæ Religionis publice profiteri non posset, ubique tamen Dei Sacerdotibus se se commendans pro se efficacius orari poscebat. Ubi ad annos pubertatis pervenit, postulabat a Deo uxorem, quæ in arcanis consiliis vacillantem adjuvaret. Tandem invenit pulcherrimam puellam, Musulmanni filiam, quæ adhuc infantula patre fuerat orbata, & cujus mater, cum secundis nuptiis Christiano occulto juncta fuisset, ad fidem conversa est, curavitque filiam suam baptizari, quam ex Sacramento *Sabigotho* appellavit. Porro quamvis publice Musulmannis admiscerentur, animo tamen Christianam Religionem retinebant. Ergo hanc puellam Sabigothonem Aurelius Sacerdotum Ministerio in matrimonium accepit, quacum clandestinam vitam more Christianorum duxit. Fuit autem Aurelio quidam sanguine propinquus nomine Felix, qui postquam ex humana fragilitate fidem negasset, lapsus occultis lacrymis deflens, non tamen Christianum se palam profiteri audebat;

debat; is quoque Liliofam occultorum Sæculum IX.
Christianorum filiam duxerat. Itaque A. C. 852.
hos ambos maritos ambasque uxores
dulcissimum amicitiae vinculum arctissi-
me connectebat.

Accidit, ut illo die in forum exiret n. 47.
Aurelius, quo Joannes mercator Martyr,
prius odio nominis Christi verberibus
cruentatus, per totam urbem circum-
ducebatur; ille illico hoc spectaculo
commotus credidit, coeleste sibi dari mo-
nitum. Domum igitur regressus ad u-
xorem dixit: *Tu jam diu, dulcissima*
conjug, hortaris, ut sæculum contemnam,
& Monachorum vitam dilaudas. Ecce
nunc, carissima! tempus acceptabile ad-
venisse reor, quo ad majorem perfe-
ctionem eluctemur. Fias mihi jam so-
ror, quæ conjug extitisti, incumbamus
jugiter orationi, & nos ad Martyrium
fortiter sustinendum præparemus. Su-
scipit lætanti animo mulier pium viri
consilium tanquam a Cælo suggestum.
Fulgebat quidem in oculis domum in-
trantium lectus magnifice stratus; at ipsi
super cilicia cubabant divisi, sæpe jeju-
nabant, assidue orabant, noctu Psalmos,
quos didicerant, meditabantur, & maxi-
me pauperum curam gerebant. Con-
fessores captivos atque inter alios Joan-
nem, Isaacum Monachum, Floram & Ma-
riam invisebant; nam ista, quæ narra-
mus,

mus,

Sæculum IX. mus, ante illorum Martyrium gesta sunt.
A. C. 852. Aurelius viris, Sabigotho fœminis istud
 charitatis officium impendebat.

Sub illud tempus Aurelius Eulogii Presbyteri amicitiam adeptus consilium expetiit, quid de Bonis suis, quid de duobus liberis, quos Cælum sibi dederat, sibi esset faciendum. Num nefas non esset, eos in tenerrima ætate paterno auxilio destituere, & exponere periculo, ne in perversa Secta educarentur? num opes meas intestatus projiciam, quas illico Princeps infidelis rapiet? Eulogius eum cum primis exhortatus, ut omnia pro amore Dei relinqueret, suavit, ut liberos suos in locum tutum mitteret, ubi Christiana Doctrina imbuerentur; bona vero sua venderet pauperibus distribuenda, una parte conservata, unde liberi alerentur. Haud multo post tempore quam Flora & Maria Martyrium consummasent, Sabigothoni per somnium objectæ sunt albis & splendidis vestibus indutæ, florum fasciculos manibus tenentes, pluribus aliis Sanctis comitantibus. *Illæ: Quid mihi jam sperandum est, inquit, an voti compos ero, quod vestris precibus, cum in carcere essetis, commendavi? an ea mihi obtinget felicitas, ut exemplum vestrum sequar & Christi Martyr efficiar?* Flora & Maria responderunt: *Ad gloriam Martyrii reservaris, quod pro-*

**Martyres
 Cordubenses.**

propediem consummabis. In promissio- Sæculum IX.
A. C. 852.
stri pignus mittimus ad te Monachum,
qui tecum coronabitur. Cum Sabigotho

hæc marito narrasset, exinde cogitationes omnes ad mortem pro Christo fortiter tolerandam adjecerunt, & venditis omnibus, pretii partem ad sustentandam prolem servarunt. Monasteria sæpe invisebant, ut ibi ad luctam instruerentur, præsertim Tabanense Cœnobium, in quo liberi eorum sub disciplina Sacrarum Virginum degebant, erant enim ambæ puellæ, quarum una octennium, altera lustrum impleverat.

Inter alios Aurelius consuluit Alvarum, qui ab Eulogio Magistri loco colebatur, & ævi sui Doctor maximus habebatur. Is Aurelium hortatus est, ut suam serio probaret conscientiam; num toleratis primis tormentis usque ad ultima se perseveraturum crederet, & num magis Martyrum merita, quam celebre inter homines nomen quæreret.

§. II.

Georgius Monachus & Martyr.

Inter hæc Cordubam advenit Monachus ex Palæstina nomine Georgius, qui non procul a Civitate Bethlehem natus, annos viginti septem exegerat in Monasterio S. Sabæ, octo milliariis ab Jerusalem, qua meridiem spectat, distan-

te,

Sæculum IX. te, ubi tunc temporis Monachi quingen-
A. C. 852. ti sub regimine Abbatis David degebant.
 Georgius ordine Diaconatus erat insigni-
 tus, trium linguarum Græcæ, Latine
 & Arabicæ gnarus. Cum eum Abbas
 suus misisset in Africam, eleemosynas
 pro Monasterio collecturum, ibique Ec-
 clesiam sub servitute Musulmannorum
 oppressam invenisset, suaserunt illius Pro-
 vincia Christiani, ut in Hispaniam traji-
 ceret; sed cernens, ibi quoque Christia-
 nos magna persecutione premi, delibe-
 rare cœpit, an ad suum Monasterium
 esset remeandum, vel potius adeundum
 sibi esset Regnum Christianorum, id est,
 Franciæ; illo enim nomine tunc Fran-
 cia designabatur, quod omnes propemo-
 dum in Occidente Christiani sub Regum
 Francorum potestate essent.

Consilii ambiguus Georgius Cordu-
 bam ad Tabanense Monasterium perre-
 xit, rogaturus, ut Fratres & Sorores pro-
 ficiscentem sua benedictione & precibus
 comitarentur. Tunc ad eum Abbas
 Martinus & Soror ejus Elisabetha dixe-
 runt: *Veni, frater, & accipe Benedictio-
 nem Ancillæ Dei Sabigothonis.* Quæ
 mox ut eum intuita est, *promissus*, inquit,
nostri certaminis comes hic Monachus
Persecutio *erit.* Georgius, ubi audivisset, quænam
Cordubensis ipsa esset, pedibus ejus advolutus roga-
 vit, ut pro se Dominum exoraret. Al-
 tera

tera die Georgius & Sabigotho Cordu-
 bam ad ipsius maritum Aurelium ve-
 niunt, ad cuius etiam pedes prostratus
 Georgius petiit, ut per ipsius preces Mar-
 tyrii eorum socius esse mereretur. Ex-
 inde zelo Martyrii accensus ab eis nun-
 quam separatus est, viditque in eorum
 domo Felicem & conjugem Liliosam,
 venditis bonis suis ad suscipiendum Mar-
 tyrium paratos. Postquam igitur Geor-
 gius negotia sua, quæ necdum perfece-
 rat, celeriter composuisset, omnes con-
 silium inierunt, qua potissimum ratione
 ad optatam coronam pervenirent. Sta-
 tuerunt, ut duæ mulieres revelatis vul-
 tibus ad Ecclesiam pergerent, ut sic for-
 san eas comprehendendi nasceretur oc-
 casio. Et ita factum est.

Mulieribus ex Ecclesia revertentibus,
 quidam Præpositus obvius viros interro-
 rogat, quid sibi vellet fœminarum cur-
 sitatio ad Christianorum templa. Qui
 responderunt: *Fidelium mos est Ecclesias
 visitare & SS. Martyrum atria; quip-
 pe Christiani sumus.* Hæc res ad Ju-
 dicem statim delata; Aurelius vero ad
 filias pergens pacis osculum utrique de-
 dit. Postera die ante auroræ crepuscu-
 lum valedixit Eulogio Presbytero, &
 Fidelibus apud ipsum diversantibus, qui
 ipsius manus tanquam Martyris exoscu-
 lati ejusdem patrocinium expetierunt.

Aure-

Sæculum IX.
A. C. 852.

Sæculum IX. Aurelio in domum suam reverso, quo ce-
A. C. 852. teri etiam convenerant, adsunt milites
 a Prætoris missi præ foribus clamantes:
Exite, miseri! exite ex templo morituri!
qui vitam usque adeo fastiditis. Ergo vi-
 ri cum mulieribus suis quasi ad epulas
 invitati procedunt. At Georgius Mona-
 chus, videns se a lictoribus non teneri,
 dixit: *Cur Fideles cogere vultis ad su-
 sciendam superstitionem vestram? An
 non poteritis vos inferni claustra adire
 cum Propheta vestro, nisi nos comites
 habeatis?* Hæc loquentem satellites solo
 allidunt, & calcibus pugnisque acerrime
 tundunt. Cui Sabigotho: *Surge, Fra-
 ter, eamus!* & ille, quasi nihil mali esset
 perpeffus, *Soror mea! hæc omnia mihi
 profunt, & coronam augent.* Tum semi-
 vivus a terra levatur & cum ceteris Ju-
 dici sistitur.

Primum Judex blando affatu requisi-
 vit, cujus rei causa a veteri Religione
 recederent, & vivere recusarent? tum
 splendida promissa addidit. Sed con-
 stanter Christianam Religionem laudan-
 tes & Mahometis impietatem devoven-
 tes, vinculis adstrictos misit in carcerem,
 ubi in quintum diem custoditi sunt. Mar-
 tyribus nihil amplius quam pro Jesu
 Christo mori cupientibus longa mora vi-
 debatur; cum vero iterum ad Judices
 educerentur, Sabigotho virili fortitudi-
 ne

ne maritum ad constantiam exhortaba- Sæculum IX.
 tur. Postquam secundam quæstionem A.C. 852.
 subiissent, ad pœnam capitis damnantur,
 excepto Monacho Georgio, cui sospiti
 abire permissum, quod ipsum nulla con-
 vicia in Prophetam suum conjicientem
 audivissent, ipse pertimescens ne a Mar-
 tyribus avelleretur, proclamavit, cre-
 dere se, Mahometem esse Discipulum
 Satanæ, Antichristi pessimum manci-
 pium, Sectatores suos ad æterna incen-
 dia secum rapiens. Ergo cum ceteris
 capite damnatur. Primum Felici, dein-
 de Georgio, Liliofæ, Aurelio, & Sabigo-
 thoni cervices abscissi, vigesima septi-
 ma Julii, Æra 890. anno a Nativitate
 Christi Domini 852. Ecclesia Romana
 eadem die hos SS. Martyres colit. Cor-
 pora eorum furtim a Christianis ablata,
 & in diversis locis sepulta, nempe Geor-
 gius & Aurelius in Monasterio Pinname-
 lariensi, Felix ad S. Christophorum, quod
 ultra flumen Bætum est, Sabigotho in
 Ecclesia trium Sanctorum, Fausti, Janua-
 rii, & Martialis, Liliofa ad S. Genesium
 recondita.

§. III.

Alii Martyres.

Vigesima Augusti sequente duo Mona-
 chi Juvenes Christophorus & Leo-
 vigildus illustre Martyrium consumma-
 runt.

Hist. Eccles. Tom. XI.

M m

runt.

Sæculum IX. runt. Christophorus Cordubæ natus,
 A. C. 852. Eulogii Presbyte i Discipulus, in monte
 Cordubensi & Cœnobio, quod Rajanum
 dicebatur, Monachus fuit. Leovigildus
 autem Eliberim habebat patriam & in
 Asceterio S. Justi & S. Pastoris in eodem
 monte Cordubensi Monachum professus
 fuerat. Hi non eodem quidem tempo-
 re coram Iudice steterunt fidem Chri-
 stianam profitentes, sed eodem die ne-
 cati. Reliquiæ corporum flammis tra-
 ditorum collectæ & in Ecclesia S. Zoili
 conditæ.

6. 12.

Non longo exinde intervallo duo ju-
 venes passi sunt nobili familia procreati,
 patria Cordubenses, Emila & Jeremias,
 qui in Ecclesia S. Cypriani literas huma-
 niores docebant. Ille Diaconus, hic
 Laicus erat. Cum ambo linguam Ara-
 bicam callerent, Emila adeo acriter in
 Mahometem lingua invectus est, totque
 effudit convicia, ut ex omnibus antee-
 dentibus Martyribus nemo plura. Hi
 decima quinta Sept. interempti.

6. 13.

Altera die Martyrio coronantur duo
 Monachi ambo Evnuchi, alter senio gra-
 vis nomine Rogellius, alter juvenis no-
 mine Serviodeo, qui ex Oriente aliquot
 abhinc annis advenerat. Hi sanctissi-
 mam societatem ineuntes vicissim pro-
 mittebant, nunquam se passuros, ut al-
 ter ab altero avelleretur, donec coro-
 nam

nam Martyrii obtinuissent. Ergo in-
 trant Moscheam Cordubensem in me-
 dio populi, ibi congregati, Evangelium
 prædicant, & Musulmannis instant, ut
 ad Jesum Christum convertantur. Illi-
 co magnus tumultus exoritur, Monachi
 cæduntur, lacerantur, quin & in mille
 frustra abiissent, nisi Judex, tunc præsens,
 populum compescuisset. Nam Musul-
 manni nefas putant, si homo ab ipforum
 Religione alienus Moscheam id est Tem-
 plum eorum ingrediatur. Interim duo
 Monachi catenis vinciuntur, & detru-
 duntur in carcerem, ubi virili constan-
 tia Verbum Dei prædicare non cessarunt,
 & Regem proxime moriturum prædixe-
 runt. Ceterum in pœnam, quod tem-
 plum Mahometanorum ingressi essent,
 & ibi Evangelium prædicassent, eis pri-
 mum manus pedesque amputati, & dein-
 de a cervice caput revulsum. Cumque
 tantos cruciatus & supplicium ultimum
 imperterriti sustinerent, Christianorum
 invictam constantiam ipsi spectatores In-
 fideles obstupere. Hos sex Martyres in
 die qua passi sunt Ecclesia colit.

Sæculum IX.
 A. C. 852.

Mart. Rom.
 20. Aug. 15.
 16. Sept.

§. IX.

Concilium Cordubense.

At vero Musulmanni conspicientes tot
 Christianos ultro in mortem ruere,
 timere cœperunt, ne seditio commove-
 retur.

c. 12. 14.

Mm 2

retur.

Sæculum IX. tur. Rex Abderamus suos ad consilium
A.C. 852. vocat; in quo statutum, ut illi nulla da-

6. 15.

ta mora confestim interficerentur, quicumque convicia in Prophetam jacerent. Tunc Christiani delitescere, complures noctu sub alieno habitu diffugere, & crebro latibula mutare. Alii, quibus nec fugere commodum erat, nec latere, Jesum Christum negarunt, & plures alios perverterunt. (*) Complures autem tum Presbyteri tum Laici, qui prius Martyrum constantiam laudaverant, nunc mente mutata eorum imprudentiam carpebant, imo jam Textus ex S. Scriptura afferebant, ad suam sententiam confirmandam. Qui in principio intempestivum Martyrum fervorem damnaverant, nunc palam succensebant Eulogio aliisque Presbyteris, quod Martyres ad confessionem non necessariam impellendo persecutionis causam posuissent. Jubente Rege Episcopis Metropolitanis variarum Provinciarum Cordubæ congregatis, Concilium habitum, & deliberatum de modo, quo mitigandi essent Infidelium animi. Ibi Episcopis præsen-

(*) Nulli Christianorum licet sine manifesto Cæli instinctu Infideles ultro ad iracundiam provocare, ne forsan pauci ad imitandum, multi autem ad lapsum & negandum Jesum Christum impellantur.

præsentibus quidam *Cateb* seu Tabularius, (*) qui Religionem Christianam profitebatur, sed cum esset opulentissimus, timebat, ne munus suum amitteret, in Eulogium Presbyterum invec-tus acerrime audaciam exprobravit. Nunquam huic Tabellario illi Martyres probabantur, & tunc quidem ab Episcopis postulavit, ut Anathema pronunciarent contra Christianos, qui illos imitari cogitarent. Tandem hoc Concilium Decretum edidit, quo Christianis se ipsos Martyrio offerre prohibebatur, verbis autem allegoricis & ambiguis, ut illius ævi stilus ferebat; ita ut Decretum Regi & Musulmannorum populo placere posset, quin tamen Martyres, apud illos, qui verborum sensum penetrarent, vituperarentur.

Sæculum IX.
A. C. 852.

M m 3 Eulogio

(*) Hunc virum S. Eulogius nobis exhibet in hunc modum: *Quidam illius temporis publicæ rei exceptor præpotens vitiis & divitiis, solo Christianismi nomine denotatus, operibus autem Deo & Angelis ejus ignotus, a principio certaminibus beatorum infensus, detractor, derogator & infamator eorum, iniquus, tumidus, elatus, superbus & improbus quodam die præsentis Concilio Episcoporum multas adversum me, linguam commovens, exaggeravit contumelias &c.* S. Eulog. in Mem. SS. cap. XV. Bibl. Maxima.

Sæculum IX. Eulogio hæc dissimulatio non proba-
A. C. 852. batur. (*)

c. 16. Necdum persecutio finierat, & Epi-
 scopus Cordubensis jam secundo in vin-
 culis premebatur, cum Rex Abderamus
 in sublime Palatii sui Solarium conscen-
 dit, & pendentia e stipitibus Sanctorum
 corpora intuens, subditis flammis cre-
 mari ea præcepit. Et ecce! lingua præ-
 cipientis palato hærens ultra fari non po-
 tuit, & Rex a suis in lectulum deporta-
 tus eadem nocte spiritum reddidit, post-

Roder. hist. quam annis triginta & uno regnasset.
Arab. c. 26. Agebatur tunc annus Salutis 852. Hegira
Elmac. l. 11. 238. Defuncto successit filius Mahomet
c. 11, p. 150. primogenitus, regnavitque annis trigin-
 ta quinque, æque ac parens suus Chri-
 stianis infensissimus; quippe prima, qua
 Regnum auspicatus est die, omnes Chri-
 stianos Palatio ejectos muneribus, quæ
 gerebant, privavit.

S. V.

(*) Neque Eminentissimo Cardinali Baronio,
 qui ex Scholiaste Eulogii istud excerptit: *In quo*
(Conciliabulo) nec quod Deo esset placitum, tra-
ctatum vel definitum fuit, sed Pseudoepisco-
rum unanimi conspiratione facta cum Principe
vetitum est Martyrium, demptusque est cultus
SS. Martyrum, erecta perfidia, atque depressa
Confessio &c.

§. V.

Sæculum IX,
A. C. 852.*Quæ in Causa Gotteschalci secuta
sint.*

Interim Hincmarus, ex epistola Amoloni ad Gotteschalcum intelligens, quod a mente ipsum damnandi non procul abesset, data ad eum epistola modum, quo Gotteschalcus Moguntiaë & Cadurci iudicium subiisset, atque ejusdem Doctrinam summam edocuit. Pardulum quoque Episcopum Laodunensem compulit, ut Amoloni hac de re scriberet, & ambo suis epistolis etiam epistolas Rabani ad Nothingum Episcopum Veronensem dadas adjecerunt. Remigius Archiepiscopus Lugdunensis Amoloni Successor his litteris vulgato Scripto respondit, in quo Doctrinam Hincmari non in totum approbat, & de sententia in Gotteschalcum lata loquitur in hunc modum: *Rationi consentaneum nobis non videtur, quod hic miserabilis Monachus, ad Iudicium Episcoporum perductus, prius ab Abbatibus presentibus ad flagella damnatus, & deinde ab Episcopis secundum Canones judicatus fuerit. Penam omnino merebatur sustinere ob contumelias, quas in Episcopos coniecisse dicitur; sed expediisset banc non ab ipsis sed ab aliis infligi. Quod vero ad ejus opiniones spectat, parcite nobis, si fateamur, ea quæ de prædestinatione*

c. 2. p. 100.

c. 24. p. 107.

Edit. Maug.

Sæculum IX. *ne docuit, vera esse, & neminem nostrum
A. C. 852. ea negare posse, si Catholicus audire velit.*
Hinc *vehementer dolemus, non hunc misera-*
bilem hominem, sed veritatem Ecclesia
fuisse damnatam. Et infra: Id vero cum-
c. 25. p. 109. *etis videtur horrendum, quod flagris (exem-*
plum crudelitatis inauditum) fuerit tam
diu conersus, ut nobis narraverunt testes
præsentes, usque dum in ignem, ante ipsius
pedes excitatum, projecisset Commenta-
rium, quem ex Textibus Scripturæ & Pa-
trum collectum Synodo traditurus erat.
Cum tamen hactenus in Ecclesia omnes
Hæretici non verberibus sed verbis & ra-
tione erroris convicti fuerint. Longam
& inhumanam miserabilis hominis capti-
vitatem, ut nobis videtur, aliquo solatio
temperare oportuisset, non vero ad despe-
rationem impellere fratrem, qui charita-
te conservandus erat, & pro quo JEsus
Christus mortuus est. Istud ad tres epi-
stolas Responsum sequitur Tractatus bre-
rior, cui Titulus: Resolutio Quæstionis,
de damnatione universali omnium homi-
num in Adamo & de Liberatione quorum-
dam in JEsu Christo.

Doctrinam in his omnibus Scriptis con-
tentam singillatim ad examen non voco;
res enim hæc esset fastidii plena & nullius
emolumenti. Omnes hi Scriptores con-
tendebant, se defendere Doctrinam Eccle-
siæ, quam S. Augustinus ceterique SS. Pa-
tres

tres explicabant, & quam præ manibus nostris habemus. Cum igitur hanc nostris oculis legere & de sensu judicare valeamus, parum interest, scire, num aliqui Scriptores Sæculi noni Patres male interpretati fuerint. (*) Istorum Scriptorum auctoritas tanta non est, ut contrarium sentire non liceat, nec etiam instituti mei ratio postulat, omnes disceptationes Doctorum privatorum referre, quando causa non fuerunt, ut in Ecclesia nova Fidei Definitio vel Decretum, cui obedire teneamur, ederetur.

Sæculum IX.
A. C. 852.

Illud maxime meretur notari, utramque partem existimasse, quod ex omnibus Patribus S. Augustinus ille sit, cujus Auctoritatem præ ceteris in materia de prædestinatione & gratia sequi oporteat. Hinc etiam usque adeo Hincmaro cordi erat defendere & affirmare, librum, cui Titulus *Hypomnesticon* seu *Hypognosticon*, S. Augustini opus esse. Ecclesia Lugdunensis credebatur opus esse alterius Scriptoris; at omnes Critici hodie consentiunt, ex S. Augustini calamo non fluxisse. Duo vero ex ista disputatione super Gottescalci doctrina clare dispici-

de trib. ep.

c. 34.

c. 55.

S. Augustini

Auctoritas.

v. App. to. 10.

S. Aug. init.

M m 5

mus;

(*) Opportuna est ista Fleurii reflexio, præsertim in materia de Prædestinatione, cujus ratio ultima est: *Judicia tua abyssus multa!* Psal. 35.

Sæculum IX.
A. C. 852. mus; primum illa ætate necdum aliam
 Theologiam, nisi Scripturæ & SS. Pa-
 trum studium, fuisse notam, deinde, Epi-
 scopos adhuc proprios Ecclesiæ Docto-
 res fuisse habitos, & ex eis aliquos in
 Francia doctissimos extitisse, quamvis
 illud inficiari nequeamus, eorum stilum
 nec tersum esse nec clarum, qualis illo-
 rum erat, qui felicioribus Sæculis scri-
 pserunt, eosque multas immiscere phra-
 ses dure sonantes, quæ illius ævi rustici-
 tatem produnt.

§. VI.

S. Remigii Translatio.

Mod. 1. I. Inter hæc, cum Hincmarus Ecclesiam S.
c. 21. l. III. Remigii ampliorem reddidisset, Cel-
e. 9. lam subterraneam mira arte construxit,
 quo S. Viri Corpus, omnibus Provin-
 ciæ suæ Episcopis præsentibus transtulit.
 Corpus inventum est adhuc integrum, &
 in thecam argenteam positum, cum lin-
 teo, quo primo involutum fuerat. Sed
 pars lintei cum sudariolo, quod caput
 tegebat, in capsulam eburneam missa, &
 ad Ecclesiam Dominæ nostræ, nempe Ca-
 thedralem, delata. Non ausus est Hinc-
 marus quidquam de sancto corpore ab-
 scindere, & Regi Germaniæ Ludovico
 aliquam partem petenti rescripsit, cre-
 dere se, non sine nota temeritatis maxi-
 mæ fieri posse, ut Corpus, quod Deus
 tot

tot annis integrum conservasset, homines dividerent. Foris ante sepulchrum posuit opus aureum, gemmis ornatum, ubi erat fenestra, per quam inspicientes Corpus Sancti videbant, in ipsa vero Theca incisa erat Inscriptio versibus latinis, apposita Translationis die, nempe prima Octobris anno octingentesimo quinquagesimo secundo Pontificatus sui octavo. Hinc est, quod Festum S. Remigii prima die Octob. celebremus, quamvis decima tertia Januarii obierit.

Sæculum IX.
A. C. 852.

§. VII.

Hincmari Capitula.

Exinde elapso unius mensis spatio prima Nov. anno 852. Hincmarus Synodum suam celebrans Presbyteris suis documenta scripta in Articulos septendecim divisa tradidit. In iis Aqua benedicta & Panis benedictus denotantur in hæc verba: *Ut omni die Dominico quisque Presbyter ante Missarum Solemnia Aquam benedictam faciat, de qua populus intrans Ecclesiam aspergatur, & qui voluerint, ex illa accipiant, & per mansiones, & agros, super pecora quoque sua, atque super pabula eorum nec non & super cibos & potum suum conspergant.* Singulis diebus Dominicis & Festis Presbyter panis particulas, quæ de oblatis vel de suo superfuerint, benedicat, & post Missa-

to. 8. Conc.
p. 569.

c. 5.

c. 7.

Sæculum IX. Missarum Solemnia inde Eulogias illis
A. C. 852. distribuatur, qui ad S. Communionem ac-

c. 9.

ceptiendam non fuerint parati. Presbyter officio matutino expleto pensum servitutis suæ canendo primam, tertiam, sextam & nonam persolvat, ita tamen, ut postea horis competentibus vel per se, si possit, vel per alios Ecclesiasticos publice compleat. Tum Missa celebrata, si infirmos inviserit, ad opus rurale exeat jejunos, & ante statutam horam pro diversis temporibus non comedat. Id est diebus jejunii tardius cibum sumat. Inde dispicimus recitationem Horarum Canonicarum inter res Presbyteris præceptas fuisse recensitam, sed licuisse, eas privatim recitando, constitutum tempus prævertere. Item videmus, quod illa ætate non crediderint, agriculturam Presbytero indignum laborem esse.

c. 11.

c. 13.

c. 14.

Nullus Presbyter vasa Sacra, aut vestimenta Sacerdotalia aut librum cuiquam præsumat pignori dare. Non accipiat munera eo pacto, ut peccantes publice ad Episcopum non deferat, aut post injunctam pœnitentiam reconciliationis tempus acceleret. Non adsint conviviis quæ in anniversario mortuorum celebrantur, non inebrientur, non se ingurgitent cibis. Non audiant scurrilia, & ludiones ad illas mensas funebres admitti solitos non conspiciant. Sub specie
 piarum

piarum Congregationum epulas non in-
 starent. Presbyter non præsumat dare
 cuiquam Laico Evcharistiam, in domum
 suam deferendam, si dicat, ibi esse infir-
 mum, sed hoc Sacramentum Presbyter
 semper per se ipsum administret. Pau-
 peres immatriculati, id est, in Catalo-
 gum Ecclesiæ relati, non sint alii, quam
 ad eandem Ecclesiam pertinentes, aut
 Parochi consanguinei vere egeni. Pres-
 byter ex redditibus Ecclesiæ nec suo, nec
 alieno nomine quæstum faciat. Cete-
 rum in his Articulis omnis consuetudo
 cum fæminis tam sollicite prohibetur,
 ut suspicandi locus sit, frequentissime
 contra castimoniam fuisse peccatum.

Sæculum IX.
 A. C. 853.

p. 373. c. 10.

c. 17.

c. 21.

§. VIII.

Concilium Sueffionense.

Anno sequente octingentesimo quinquagesimo tertio, Caroli decimo tertio,
 Indictione prima, Hincmarus Concilio
 Sueffionensi vigesima sexta Aprilis in Ec-
 clesia S. Medardi celebrato interfuit. Ad-
 venerant ex quinque Provinciis univer-
 sim Episcopi viginti sex, ex quibus ma-
 gis celebres sunt sequentes: Hincmarus
 Archiepiscopus Remensis, Venilo Seno-
 nensis, Amalricus Turonensis, Rotadus
 Sueffionensis, Lupus Catalaunensis, Par-
 dulus Laodunensis, Agius Aurelianensis,
 Prudentius Trecentis, Herimannus Ne-
 vernen-
 seu Tricassensis.

to. 8. Conc.
 p. 808.

Ann. Bert.
 p. 853.

Sæculum IX. vernensis, Jonas Augustodunensis. Post
A.C. 853. Episcopus leguntur Rieboldus Chorepi-

scopus Remensis, Lupus Abbas Ferrariensis, Odo Corbejensis, Bavo Orbacensis. (*) Jam anno 851. Paschasius Rathbertus Regimen Abbatiae Corbejensis abdicaverat, quo reliquos vitæ dies in quiete & meditatione Philosophiæ Christianæ transigeret. Successorem sibi

tom. 6. Act. Ben. p. 121. delegerat Odonem, vix Tyrocinium egressum, quem vero corporis & animi dotibus ceteros superare constabat. In

hoc vero Concilio, cui Carolus Rex per se interfuit, habitis octo Sessionibus diversæ causæ pertractatæ sunt. Et primo

Narr. Cler. Rem. p. 343. to. 2. Duch. quidem actum de Clericis, quatuordecim circiter Presbyteris Diaconisque ab Ebone Hincmari Antecessore ordinatis. In

prima Sessione Sigoaldus locum tenens Archidiaconi Remensis dixit, ad fores stare Fideles ejusdem Diœcesis, qui peterent admitti. Dixit Hincmarus: *Legite eorum nomina.* Et Sigoaldus Canonicos Ecclesiæ Remensis quatuor, unum Monachum S. Theodoricæ, & S. Remigii octo nominavit. A Concilio & Rege jubentur intrare, & Hincmarus inquit:

Quid

(*) In ipsis Actis legitur etiam Paulus Rotomagensis Sanctæ Ecclesiæ Archiepiscopus, relegi & subscripsi. Econtra nomen Lupi Catalaunensis non occurrit.

Quid petitis, Fratres! respondent: *Pe. Sæculum IX. A. C. 853.*
 timus a vobis facultatem exercendi Ordines, quos nobis contulit Dominus Ebbo, & a quibus nos suspendistis. Hincmarus: *Habetis libellum?* responderunt: *non habemus.* Tum Hincmarus: *Legibus Ecclesiæ cavetur, ne Acta valeant, nisi sint scripta. Qui petit baptizari, nomen suum tradere debet. Qui ad Episcopatum promovendus est, Decretum suæ Electionis, & Ordinationis suæ litteras exhibere tenetur, Excommunicatus datis litteris Ecclesia ejici, aut reconciliari solet, idem in Actione Judiciali observatur, & optimam Regulam nobis tradidit S. Gregorius, cum dixit: Sententia non scripta Sententiæ nomen non meretur. Itaque, 2. ep. 54.* Fratres mei, libellum nobis tradere debetis.

Ergo libellum conscribunt, & Hincmaro aliisque duobus Archiepiscopis in Concilio Præsidentibus tradunt. Hunc cum legeret Hincmarus notavit, quod in Subscriptione nomen Wulfadi Canonici, quem Sigoaldus nominaverat, deesset. Causam roganti respondit Sigoaldus, eum ægrotare. Tunc misit Hincmarus Sigoaldum, Liudonem Archidiaconum Laodunensem, & Isaacum Diaconum Remensem, qui Libellum deferrent ad Wulfadum. Hi, postquam subscripsisset, redierunt in Concilium.

Tunc

Sæculum IX. Tunc Hincmarus: *Hic Libellus manifeste in me dirigitur. Si Episcopus accusaretur, ad me daretur appellatio, sed quia hi Fratres de mea sententia queruntur; ad iudices deligendos dato Libello appellent necesse est.* Tum citavit duos Canones ex Collectione Conciliorum Africae, & unum Articulum ex Capitularibus secundum Collectionem Ansegisi, ad demonstrandum, a Iudicibus proprio arbitrio delectis appellari non posse. *Nobis igitur, inquit, utrinque deligendi sunt Iudices,* obtulitque Libellum, in quo ad hanc solummodo causam duos Archiepiscopos Senonensem & Turonensem, atque Pardulum Episcopum Laodunensem, qui nomine Sedis Remensis iudicaret, deligebat, subjungens: *Salva tamen Ecclesie meae Metropolitanae Auctoritate, & Sacrae Sedis Reverentia.* Et illico, e loco suo surgens, Pardulum ibi sedere iussit. Actoribus suis deinde potestatem fecit, sibi iudices sive eosdem sive alios deligendi. Illi eosdem elegerunt, nisi quod adjungerent Prudentium Episcopum Trecensem, haud dubie ideo, ut Pardulo, amico Hincmari intimo, virum alium opponerent. Consensit Hincmarus & scriptum libellum huius electionis ad se transmissum Wulfadus apposita manu sua ratum habuit. Hæc circa hanc causam in prima Sessione

ne

ne acta. Clerici vero ab Ebbone ordi-
nati exinde conquesti sunt, tam cum of-
ferrent libellum, quam cum Judices eli-
gerent, libertatem sibi fuisse imminutam.

Sæculum IX.

A. C. 853.

Nar. Cler.

Rem.

In secunda Sessione delecti Judices
dixerunt: *Perquirendum nobis est, an De-*
positio Ebbonis Canonice facta sit, & an
fuerit restitutus, ut inde cognoscere possi-
mus, num illis, quos post Depositionem or-
dinavit, munere suo fungi liceat. Hac
de re illis, qui Hincmarum ordinarunt,
ratio reddenda est. Tunc vero Theodo-
ricus Episcopus Cameracensis surrexit de
sede sua & Libellum Concilio offerens
dixit: *Profiteor viva voce & in hoc scri-*
pto quæcunque de Canonica Depositione
Ebbonis vidi & audivi. Hoc Scriptum
Lupus Abbas Ferrariensis prælegit, in quo
continebantur sequentia; Ebbonem se-
reum confessum fuisse, & condemnatum
ab Episcopis, quos ipse judices & testes
delegisset, & ex quorum numero Theo-
doricus fuisset. Item Ebbonem Episco-
patum abdicasse, secundum quadraginta
trium Episcoporum judicium. Acta præ-
terea lecta sunt, ex quibus constabat ipsius
Depositionem a Sergio Papa fuisse confir-
matam, ipsumque nihilominus contra
Canones officia Episcopi peragere præ-
sumpsisse. Hæc in secunda Sessione
acta.

p. 87.

Ebbonis De-
positio exa-
minatur.Sup. lib.
XLVII.
S. 47.Sup. lib.
XLVIII.
S. 8.

Sæculum IX.

A. C. 853.Sup. lib.
XLVIII.
§. 28.

In Sessione tertia Judices dixerunt: *Nunc præcipimus, ut Ordinatores Hincmari ostendant, ipsum Canonice fuisse ordinatum.* Hic Rotadus Episcopus Suesionensis surrexit, ostenditque Canones præscribentes modum, quo Episcopus Metropolitanus ordinandus esset, eumque, si ex illa ipsa Diœcesi non eligatur, ex alia Ecclesia vicina a Clerico & populo illius Ecclesiæ esse postulandum. Produxit quoque litteras Canonicas Erchanradi Episcopi Parisiensis, de cujus Diœcesi Hincmarus evocatus fuerat, ab Archiepiscopo Senonensi aliisque ejusdem Suffraganeis confirmatas, quibus Hincmarum Clericis populoque Remensi concedebat. Populi item Remensis Decretum, quo Hincmarum postulabat, exhibuit. Ex his omnibus ergo lectis probavit Rotadus, Hincmarum a se præsentibus cunctis Provinciæ Episcopis Canonice fuisse ordinatum. Hincmarus deinde surgens produxit epistolas, ab Ordinatoribus suis apposita die & anno canonice sibi datas, & præterea epistolam Episcoporum totius Galliæ ad Papam datam, qua ipsius Ordinationis confirmationem petebant; nam Sergius Papa condemnationem Ebbonis confirmaverat. Ostendit quoque Regi præsentis & Concilio Litteras Regis ad Sacram Sedem pro obtinenda suæ Electionis Approbatione directas.

Ex

Ex his actis Concilium in Sessione quarta judicavit, Hincmarum canonicè ordinatum fuisse, & eo magis, quod a Sacra Sede Pallium accepisset. Tunc Judices quæsierunt, quid Synodus de illis, quos Ebbo jam depositus ordinaverat, statueret, & Immo Episcopus Noviodunensis surgens produxit volumen, continens Canones & Pontificum Decreta, ex quibus demonstrabatur, Ebbonem, quod ipse amplius non habebat, nemini dare potuisse. Itaque Synodus in Sessione quinta pronunciavit, quæcunque Ebbo post suam Depositionem egisset, excepta administratione Baptismi, nulla fuisse, illosque, quos ordinasset, ubicunque existerent, Ordinum suorum exercitio in perpetuum esse privatos. Eorum aliquis, nomine Fredebartus Ecclesiæ Remensis Canonicus, dixit, se ideo ab eodem Ebbone permisisse se ordinari, quia viderat, tres Suffraganeos Remensis Ecclesiæ, Rotadum Sueffionensem, Simeonem Laodunensem, & Erpuinum Silvane-ctensem, in Metropolim Remensem Ecclesiam convenisse cum Litteris Imperatoris Lotharii, & eundem Ebbonem restituisse. Produxerunt deinde litteras quasi ex nomine novem Episcoporum Provincia Remensis, quæ manifeste falsissimæ sunt comprobata. Econtra Immo Episcopus Noviodunensis porrexit volu-

Sæculum IX.
A. C. 853.

Hincmarus
Canonicè
ordinatus.

Sæculum IX.
A. C. 853.

men, unde evidentissimis indiciis Fredeberti & collegarum assertio mendacissima probabatur, & ipsi statim, postquam fuisset depositus, cum Ebbone communicasse convincebantur. Itaque sententia tanquam in calumniatores pronunciatur, & excommunicantur, quia, ordinatione eorum irrita & vacua prius declarata, gradus Ecclesiasticos, quibus privarentur, non habebant. (*)

In Sessione sexta Hincmarus Decreto Synodali Primatus sui locum recepit, reliquis agendis hujus Synodi cum aliis duobus Archiepiscopis præfuturus. Tunc mota est quæstio de causa Halduini, quem Ebbo Diaconum, & deinde Lupus Episcopus Catalaunensis Presbyterum ordinaverat. Unde surgens Lupus porrexit volumen, in quo continebatur; cum Sedes Remensis Pastore careret, Regem Carolum sibi præcepisse, ut Chrisma conficeret, & alias functiones necessarias perageret, peculiariter vero sibi per epistolam regiam mandatum, ut Halduinum & Presbyterum ordinaret, & Abbatem in Monasterio Altivillarensi sacralet; eundem

(*) Hæc Synodus Snessionensis secunda Canones & Decreta SS. Pontificum in materia de Ordinibus in hunc modum accipere videntur; quod Episcopus depositus ne quidem valide ordinare possit.

eundem sibi deinde cum ceteris ordi-
 nandis ab Archidiacono Remensi fuisse
 oblatum. De eo a Sacra Synodo judi-
 catum; Halduinum, qui per ignoran-
 tiam fuisset Presbyter ordinatus, cum
 non esset (*) Diaconus, esse deponen-
 dum. In Sessione septima Patres ege-
 runt de his, qui sæpe dicto Ebboni in
 oratione vel oblatione communicave-
 rant, & judicarunt, fuisse quidem secun-
 dum Canones excommunicatos, sed ab
 Hincmaro tempore Ordinationis suæ re-
 conciliatos. Tandem in Sessione octa-
 va Synodus, ut Regis Caroli precibus ob-
 sequeretur, Excommunicationis senten-
 tiam in Sessione quinta contra Clericos,
 qui se ab Ebbone ordinatos dixerant, la-
 tam revocavit. (**) Hæc de Actis hujus
 Synodi supersunt; sed plures aliæ causæ
 agitæ; quod ex Canonibus dispici-
 tur.

N n 3

§. IX.

(*) Exinde superior Annotatio confirmatur.

(**) Hic notanda sunt, quæ dicit Pagi in Critica
 ad hunc annum, *Verum renovata per Wulfadum
 & Socios ad Sedem Apostolicam appellatione Ni-
 colaus I. Acta ejusdem Concilii Sueffionensis II.
 examinavit & rescidit, ac Wulfadum & So-
 cios in pristinos gradus restituendos jussit, ut suo
 loco videbimus. Hæc summarie ad dicendorum
 suis locis intelligentiam.*

Sæculum IX.
A. C. 852.

§. IX.

Continuatio Concilii Sueffionensis.

p. 81. c. 2. Cum Herimannus Episcopus Nivernensis insolenti morbo, quod cerebrum perturbabat, ad quædam tanto gradu indigna non sine Ecclesiæ suæ detrimento facienda impelleretur, Archiepiscopo Senonensi ejus Metropolitæ præceptum, ut cum quibusdam aliis Episcopis Nivernum se conferret, omnia illius Ecclesiæ negotia curaret, & Herimannum Episcopum per æstatem, quo anni tempore pejus habere solebat, Senonibus apud se detentum, ut posset, regeret.

c. 3. Electioni Burchardi ad Sedem Carnutensem complures adversabantur. Optabat Rex, ipsum illius Ecclesiæ Episcopum consecrari, sed, cum sciret Venilo Archiepiscopus, fœda eum fama lædi, noluit suspectum ordinare. Hincmarus, Pardulus & Agius Episcopus Aurelianensis Burchardum remotis arbitris affati hortabantur, ut si quid sibi conscientia suggereret, ob quod ordinari non posset, ingenue fateretur. At Parte Cleri populique, quæ præsens erat, bonum ei testimonium perhibente ad Concilium iterum intromissus, tanto quidem gradu se dignum esse profiteri, arrogantia asseruit esse, non veritatis; si quis vero crimen aliquod sibi vellet objicere, ad id purgandum

*to. 8. Conc.
p. 1934.*

dum se paratum esse affirmavit. Nullo, Sæculum IX.
 qui id conaretur, existente, decrevit A. C. 853.
 Sancta Synodus, ne diu Carnutensis Se-
 des vacaret, ut Archiepiscopus Senonen-
 sis illuc Mandatarios mitteret, qui de Ele-
 ctione Burchardi cognoscerent, comper-
 ta referrent; sicque canonice ordina-
 retur.

Duo Monachi S. Medardi Sueffione c. 5.
 Pipinum Regis Caroli Nepotem, Pipini Ann. Bert.
 Regis Aquitaniæ filium, consilio Episco- 853.
 porum & Procerum attonsum abducere
 conati fuerant. Eos igitur cum ipso ex
 fuga in Aquitaniam retractos S. Medardi
 Congregatio, eorumdem causa complu-
 ribus Abbatibus præsentibus examinata,
 tanquam contumaces desperata emenda-
 tione juxta Regulam S. Benedicti ejecit;
 quos cum Rotadus Episcopus Sueffionen-
 sis a suo Archidiacono ad Concilium ad-
 duci jussisset, depositi sunt (nam Presby-
 teri erant) & in Monasteria remota sepa-
 ratim relegati.

Rex Carolus contra Diaconum Ec- c. 6.
 clesiæ Remensis nomine Ragamfridum Synodus
 querelas ad Concilium detulit, quippe Sueffionen-
 accusabatur, quod Regis nomine litteras sis secunda.
 spurias scripsisset. Huic interdictum, ne
 ex Remensi Diœcesi pedem efferre au-
 deret, donec ab ojecto crimine se pur-
 gasset. Reliqui Canones hujus Synodi
 sunt præcepta generalia, quæ ut Rex sua c. 7. 8.

Sæculum IX. Auctoritate firmaret, rogabant Episcopi;
A.C. 853. unde in Sessione septima Capitulare duodecim complectens articulos edidit.

to. 8. Conc
 p. 92.
 Cap. to. 2.
 p. 53.

In primo Articulo decernitur, mittendos esse a Rege Delegatos, qui cum Episcopo Diocesano, & Præposito Comendatitio (sæpe Laici erant) omnia Monasteria visitent. In illa visitatione præscribatur; quot Monachi aut Canonici in quolibet Monasterio sustentari debeant, quæ sit eorum vivendi norma, quæ alimenta, quæ vestimenta, quis hospites excipiendi modus, quomodo facta tecta conservent. Commentarius Bonorum omnium & Redituum conscribatur, & quanta sit clades a Normannis illata. Optimates & Dynastæ non obstant Episcopis, si Colonos vel agrestes ob crimina admissa gravem pœnam meritos verberibus castigent. Comes & Prætores Episcopum, quando Diocesim invisit, comitentur, & vim externam commodent, qua peccatores ad pœnitentiam publicam & præstandam satisfactionem compellat, si excommunicationis pœnam contemnant. Ita Episcopi potestatem spirituales & sæculares conjungebant. In iis, quæ ultimo leguntur, conservatio- ni Bonorum Ecclesiasticorum consulitur.

c. 9.

c. 10.

§. X.

§. X.

Sæculum IX.

A. C. 853.

S. Aldrici Cenomanensis Obitus.

Cum S. Aldricus Episcopus Cenomanensis, paralyti solutus, datis ad Concilium litteris, excusasset, quod venire non potuisset, seque precibus Episcoporum vivum mortuumve commendasset, id ipsum tota Synodus magna charitate promisit, & Archiepiscopo Turonensi Metropolitæ ejus præcepit, ut Cenomanum iret, & quæcunque utilitas illius Ecclesiæ postularet, faceret. S. Aldricus triennio adhuc dum superstes, postquam hanc Sedem annis viginti quatuor tenuisset, obdormivit in Domino anno 856. septima Jan. qua die ab Ecclesia ejus memoria colitur.

Is ut Presbyteris suis prodesset, Canones ex antiquis Conciliis, ex Decretalibus Pontificum, ex Scriptis Patrum, ex Conciliis, quibus ipse interfuerat, & ex Regum Capitularibus collectos edidit. Anno 840. Ludovico pio adhuc superstite, Synodo Clericorum ex sua Diocesi congregata, præscripsit numerum Missarum & aliarum precum, quas Episcopus pro suis Clericis & Clerici pro suis Episcopis sive vivis sive mortuis offerrent. Imo compositæ novæ Missæ cum præfationibus propriis & Clausulis Canonis addendis. Inter Constitutiones,

Nn 5

quas

*Conc. Sueff.**c. 4. Sup.**b. XLVIII.**6. 10 Mabill.**Ann. 3. pag.**285.**Mart. Rom.**7. Jan.**Gest. n. 16.**to. 3. Ba-**luz. Misc. p.**44.**ibid. n. 58.**p. 146.**n. 46. p. III.*

Sæculum IX. A. C. 853. quas edidit, ad Divinum Officium spectantes illa de Luminaribus notatu dignissima mihi visa. Constituit, ut in Cathedrali sua Ecclesia singulis noctibus, dum Matutini celebrantur, quindecim luminaria, decem ex oleo & quinque ex cera, Diebus Dominicis triginta ex oleo & quinque ex cera arderent, quæ auferentur servata proportione usque ad Festa maximæ celebritatis, in quibus saltem centum, nempe nonaginta ex oleo & decem ex cera accendenda erant. Ex hoc exemplo lectoribus conjicere licet, quantus in aliis Ecclesiis lucernarum numerus fuerit, & cur in Actis Fundationis vel Donationis de Ecclesiarum luminaribus frequentissime mentio occurrat.

§. XI.

Clades a Normannis illata.

Chro. Font. Duch. to. 2. p. 398. *Chro. Font. to. 3. spicil. p. 251.* Non sine causa Legatos Regios cum mandatis missos legimus, qui de Monasteriis a Normannis exterminatis cognoscerent. Cum voveretur annus octingentesimus quinquagesimus primus, decima tertia Octobris Classis Normannorum fluvium Sequanam ingressa est Duce *Hoseri*, qui ante decennium Rotomagum incendio cremarat, & per trimestre in illa ora commorati prædones Monasterio Fontanellensi ultimam perniciem attulerunt. Monachi cum jam bis antea

tea vitam dato pretio redemissent, & Sæculum IX. amplius pecunia non suppeteret, fuga A. C. 853. salutem quærere statuerunt; itaque re-fossis ossibus S. Wandrilli & S. Ansberti, & accepta, quæ supererat, supellectile, in Territorium Pontiniacense & inde in Bononiense, ubi fundos possidebant, se *Act. SS. Ben. to. 2. p. 557. to. 3. p. 455.* receperunt, ab Hersenda Abbatisa Blanciensi magna Charitate excepti. Interim Normanni Monasterium Fontanelense incolis vacuum ad solum usque cremant nona Jan. anno 852. postquam a tempore foundationis annis circiter ducentis stetit. Monasteria etiam Bellovacense & Flaviacense seu S. Germari igni vastarunt, & per menses octo utramque Sequanæ oram depopulati, quinta Junii conscensis navibus Burdegalam, unde advenerant, reversi sunt. *Sup. lib. XXXVIII. §. 59.*

Anno sequente octingentesimo quinquagesimo tertio Normanni Ligerim ad- *Chro. Norm. Duch. to. 2. p. 525.* eunt urbem Nannetensem, Monasterium S. Florentii ac vicina loca populantur. Et deinde superiora petentes obsident Cenomanum, unde eorum Dux manus Turonem usque emittebat, quæ captivos abriperent & totam viciniam ad convehenda omnia obsidentibus necessaria compellerent. Tunc vero, cum omnes facile intelligerent, capto Cenomano ad obsidendam Civitatem Turonensem venturos, Canonici consentientibus *Ann. Bert. 852.*

tibus

Sæculum IX. tibus civibus Corpus Beati Martini ad
 A. C. 853. Monasterium Cormaricum & inde ad Ci-
 vilitatem Aurelianensium transtulerunt.
Odo Clun. de Normanni, ut prævisum fuerat, Turo-
Transl. S. nem octava Novembris pervenerunt, sed
Mart. to. 7. tanta Cari & Ligeris fluviorum excreve-
Biblioth. p. rat inundatio, ut hostiles cunei ab urbe
 827. arcerentur. Ergo Majus-monasterium
 evertunt & incendunt, ac centum sexde-
 cim Monachos gladio percutiunt. Vi-
 ginti autem quatuor alii in diversis an-
 tris delituerunt cum Abbate suo Heber-
 no, qui nihilominus a Danis inventus &
 varie excruciatu nec Fratres tamen nec
 thesauros Ecclesiæ prodidit. Receden-
 tibus tandem Normannis Canonici S.
 Martini Abbatem Majoris-monasterii &
 viginti quatuor Monachos humanissime
 exceptos lectis & alimentis prope suam
 Ecclesiam juvant. At Corpus S. Marti-
 ni Aureliano in Monasterium S. Benedi-
 cti ad Ligerim, atque exinde Antiffiodo-
 rum translatum Hebernus & bis duode-
 cim ejus Monachi, quocunque deferre-
 tur, secuti nunquam deinceps ab sacris
 exuviis avelli potuerunt.

§. XII.

Articuli Carisiacenses.

Ann. Bertin. Concilio Sueffionensi soluto, cum Rex
 853. Carolus Carisiacum ad Oesiam ve-
 to. 8. *Conc.* nisset, cum quibusdam Episcopis & Ab-
 p. 56. batibus

batibus sequentibus quatuor Articulis ab Sæculum IX.
 Hincmaro contra Doctrinam Gottschal- A. C. 853.
 ci editis subscripsit. *Primo, Deus per suam præscientiam ex massa perditionis* *Maug. diff.*
elegit, quos per Gratiam prædestinavit *c. 33.*
ad vitam æternam. Ceteros autem quos
Iustitiæ iudicio in massa perditionis reli-
quit, perituros præscivit, sed non ut pe-
rissent prædestinavit, quamvis eos ad pæ-
nam æternam prædestinaverit. Ac per
hoc unam Dei prædestinationem tantum-
modo dicimus, quæ aut ad donum pertinet
Gratiæ, aut ad retributionem Iustitiæ.
Secundo, libertatem arbitrii in primo ho-
mine perdidimus, () quam per Christum*
Dominum nostrum recepimus, & habemus
liberum arbitrium ad Bonum, præventum
& adjutum Gratia; & habemus liberum
arbitrium ad Malum, desertum a Gratia.
 Libe-

(*) Hincmarus hic disputat in Systemate Hypo-
 thetico Status Humanæ Naturæ per peccatum
 Originale lapsæ. Quid autem dicendum de Præ-
 destinatione in Thesi & abstrahendo a peccato
 Originali? nam certe liberum Adami arbitrium
 peccato originali non infirmatum erat, & tamen
 peccavit. Porro etsi Adam non peccasset, non
 ideo tamen etiam nemo ex ejus Posteris pec-
 casset; sed aliqui in innocentia perseverantes sal-
 vati, aliqui ob peccata sua personalia damnati fu-
 issent ad pœnam æternam. Item aliqui Angeli,
 sed non sine Gratia Prædestinationis, in statu in-
 nocen-

Sæculum IX. *Liberum autem habemus arbitrium, quia
A. C. 853. Gratia liberatum, & Gratia de corrupto
sanatum. Tertio, Deus Omnipotens omnes homines sine exceptione vult
salvos fieri, quamvis non omnes salventur. Quod autem quidam salvantur, Salvantis
est donum, quod autem aliqui pereunt, pereuntium est meritum. Quarto, sicut
nullus homo est, fuit vel erit, cujus Naturam Iesus Christus non assumerit, ita
nullus homo fuit vel erit, pro quo passus non fuerit; licet non omnes Passionis ejus
Mysterio redimantur. Quod vero non omnes redimuntur, non inde fit, quia non
sufficit Redemptionis pretium, sed quia sunt, qui non credunt ea fide, quæ per dilectionem operatur. Nam poculum humane
Salutis ex nostra infirmitate & virtute Divina mixtum, habet quidem in se, ut
omni-*

nocentiæ salvati, alii sine præcedente peccato originali lapsi sunt & damnati. Ergo prædestinatio ad pœnam æternam, ut loquitur Hincmarus, non fundatur in eo, quod ob peccatum originale aliqui relictii sint in massa damnationis, sed quod Deus, etiam præscindendo a peccato originali per Gratiâ prædestinet ad Gloriam, quos vult, & quos non vult, non prædestinet. vid. Pat. Serry Ord. Præd. in Augustino D. Thom. conciliato. Mezger in Tract. de Deo uno dicit, de facto probabile esse ex Auctoritate S. Aug. & S. Thomæ, in hominum Reprobationem accessisse titulum peccati originalis.

omnibus proſit, ſed ſi non bibitur, non me-
detur.

Sæculum IX.
A. C. 853.

§. XIII.

Æneas Episcopus Pariſienſis.

Prudentius Episcopus Trecenſis ex numero illorum fuit, qui his quatuor Articulis ſubſcripſerunt, & nihilominus eodem anno octingenteſimo quinquageſimo tertio ſe iisdem adverſari datis publice litteris profeſſus eſt. Erchanrado Episcopo Pariſienſi fatiſ functo, Æneas, in Palatio Notarius, poſtulante Rege Carolo ei ſuffectus. Extat Decretum Electionis a Lupo Abbate Ferrarienſi compoſitum, & ad Venilonem Archiepiſcopum Senonenſem, ceterosque illius Provinciae Episcopos, nomine Clericorum Eccleſiae Matricis Pariſienſis, Monachorum S. Dionyſii, S. Germani, S. Genoveſæ, S. Petri de Foſſis aliorumque Monasteriorum directum, quo declarant, ſe Regis deſiderio acquieſcentes Æneam Episcopum expetere. Illo igitur Concilio ad confirmandam hanc Electionem congregato, Prudentius Trecenſis ob corporis infirmitatem venire prohibitus, per litteras abſentiam excuſavit, in quibus dicit, ſe in Ordinationem futuri Episcopi conſentire, ea conditione, ut ſubſcribat omnibus Decretis S. Sedis & Scriptis Patrum; ſpecialim vero quatuor Articulis.

Hincm. de
præd. c. 21.
c. 26. to. 8.
Conc. pag.
1875. Lup.
ep. 98.

to. 8. pag.
1885.

Sæculum IX. Articulis contra Pelagianos pugnanti-
A.C. 853. bus, videlicet: *Primo, Liberum arbitrium in Adamo perditum, nobis in Jesu Christo restitutum fuit, ita ut ejus Grætia ad omne opus bonum indigeamus. Secundo, Deus ante omnia Sæcula hos per suam gratuitam misericordiam ad vitam æternam, alios per Justitiam incomprehensibilem ad pœnam prædestinavit. Tertio, Sanguis Jesu Christi effusus est pro omnibus hominibus, qui in eum credunt, non vero pro illis, qui in eum non credunt. Quarto, Deus omnes salvat, quos vult salvare, & hos, qui non salvantur, salvare non vult. (*)* Hi sunt quatuor Articuli, quibus tanquam Doctrinæ S. Augustini clarissimæ Neoelectus Episcopus subscribe-
 ret Prudentius volebat.

Credibile etiam est, Æneam subscripsisse, cum Prudentius in ejus Ordinationem consenserit. Ipsi enim nomen legitur inter ceteros Episcopos illius Provinciae in epistola scripta nomine Venilonis & ipsius Suffraganeorum ad Ecclesiam Parisiensem data. In ea declarant, quod approbaverint Electionem Æneæ, cujus industria & zelus celebris esset omnibus Regiam adeuntibus. Dicunt
 Lup. 9. etiam cunctos se Decreto ipsius Ordinationis

(*) Propositiones manifeste hæreticæ!

tionis subscripsisse. Hanc quoque epi- Sæculum IX.
A. C. 853.
stolam Lupus Ferrariensis concinnavit.

Amplius isto, Concilium Vermerii
mense Augusto hujus anni octingentesi-
mi quinquagesimi tertii celebratum. Ad-
fuere Metropolitanæ quatuor cum suis Suf- tom. 8. p. 9.
Capit. to. 2.
p. 58.
fraganeis, videlicet Venilo Archiepisco-
pus Senonensis, Hincmarus Remensis,
Paulus Rotomagensis, Amalaricus Turo-
nensis & quidam alii Episcopi ex Provin-
cia Lugdunensi. Hic iterum aliquid oc-
currit de infirmitate Herimanni Episco-
pi Nivernensis, cujus jam in Concilio
Suessionensi mentio facta; & quia cura
ipsius Archiepiscopi plurimum ei profue- Sup. §. 28.
rat, Regimen Ecclesiæ suæ denuo rece-
pit. In hoc quoque Concilio Articuli,
quos Rex Carolus in Synodo Suessionensi
promulgari jusserat, approbati.

§. XIV.

Martyres Cordubenses.

At Cordubæ Mahomet persecutione Eulog. III.
memor. p. 1.
Christianorum Regnum auspiciatus
prima die omnibus, qui Patri suo servie-
rant, e Regia ejectis, iisdem tributum
imperavit, & militibus Christum colen-
tibus stipendia eripuit. Ad præfecturas
deligebat, quos Christianis infensissimos
noverat; unde non solum severissime
puniebantur, si qui Prophetam illorum
contempsissent, sed permulti ad Super-
Hist. Eccles. Tom. XI, ○ ○ stitio-

Sæculum IX.
A.C. 853. stitionem Mahometanorum suscipiendam
 cogebantur. Inter Apostatas notatur
 ille *Cateb*, seu Notarius, anno superiore
 SS. Martyribus adversatus. Eum solum
 Mahometani, cum ceteri Christiani om-
 nes ex Palatio pellerentur, servatum,
 quod lingua Arabica elegantissime elo-
 queretur, nihilominus elapso paucorum
 dierum spatio ad fratres suos abire jusse-
 runt, & Ministerio, quo fungebatur, pri-
 varunt. Ille fortunæ pinguioris jactu-
 ram non ferens Musulmannum profiteri
 non exhorruit, eorumque templa fre-
 quenter ingredi cœpit, qui cum esset ad-
 huc Christianus, sero ac pigre ad Eccle-
 siam procedere solebat. Tunc vero post-
 quam Christum negavit in honorem pri-
 stinum restituitur & in Palatium revoca-
 tur, ut illius exemplo alii quoque per-
 verterentur.

c. 3. Interea Rex omnes Ecclesias nuper stru-
 ctas, & quidquid novo cultu in antiquis Ba-
 silicis splendebat, ex quo Musulmanni re-
 rum potiri cœperant, dirui jubet, atque
 c. 4. omnibus Christianis Judæisque e Regno
 suo pulsus non alios quam suam Religionem
 profitentes tolerare animo constituit;
 sed in principio Regni seditiones & bel-
 la exorta indignantem ab hoc proposito
 abstraxerunt. Imo ipso etiam ringente
 complures Arabes Christiana Sacra am-
 plexi mortem generose contempserunt;
 quam.

quamvis alios subeunda tormenta a professione publica fidei Christianæ absterrent. Inter seditiones exhausto ærario, Christianos exactioibus dure vexabat, quas a Christianis colligere aliquos falsos fratres non pudebat. Musulmannorum vero præcipui, cum viderent, Christianos immani jugo premi, dicebant: *Quo nunc abiit Heroum vestrorum virtus? quo decertandi ardor au- fugit? qui ad oppugnandum Propbetam nostrum concitis gressibus currebant, iusta ultione perempti sunt. Nunc adsint, nunc veniant, modo properent, si Divinitus inspirantur!* Tunc igitur juvenis quidam Fandila Monachus aspectu decorus & virtute venerabilis primus Martyrio sese obtulit. Is in urbe Accitana (hodie Portus Gaditanus dicitur) progenitus, Cordubam discendi gratia missus, Monachis se junxit, & in Monasterium Tabanense sub regimine Martini Abbat- tis se recepit. Ibi aliquamdiu versatum Monachi ad radicem Mellaris pinnaculi (*) ab Abbate ipsius sibi exposcunt, & invitum Presbyteri ordine sacrari cu- rant, gemino Monasterio virorum fæmi- narumque illius loci præfuturum. Ille Abbas factus multo magis vigiliis, je- juniis & orationi incubuit. Ergo qua- dam die Cordubam se confert, Judicis obtutum intrepide subit, prædicat Evan- gelium,

Sæculum IX.
A. C. 853.

c. 5.

S. Fandila
Martyr.
c. 6.

c. 7.

* Pinna mel-
laria.

Sæculum IX.
A. C. 853. gelium, Sectæ Mahometis impudicitias
exprobrat. Judex vinculis onustum mit-
tit in carcerem, remque defert ad Re-
gem, qui illico excandescens & tantæ
audaciæ sermones, suæque potentiæ con-
temptum miratus voce terribili Episco-
pum Cordubensem custodiæ tradi impe-
rat. Sed cum ille fuga se periculo sub-
traxisset, jussit Rex mandato generali
cunctos viros Christianos interfici, & fæ-
minas venundari, quo tota gens disper-
geretur. Attamen immane consilium
intervertit Optimatum prudentia, mo-
nentes, æquitati repugnaturum, si ob
unius temeritatem, quam ipsi proceres
& sapientes Christianorum damnarent,
totus populus exterminaretur, Rex eru-
buit repellere, eique satis fuit, jubere,
ut Fandilæ caput amputaretur, & cor-
pus trans fluvium patibulo suspendere-
tur. Id actum 13. Junii, anno 853. ea-
dem die ejus memoriam colit Ecclesia.

Mart. Rom.
13. Jun.

6. 8.

Altera die Anastasius & ipse Presby-
ter Martyrio coronatur, qui ab ineunte
ætate apud Basilicam S. Asciscoli Cordu-
bensis disciplinis & litteris eruditus, &
Diaconus ordinatus, hoc Ministerium di-
miserat, vitæ Monasticæ desiderio. Tan-
dem Sacerdotio initiatus cum Judices
adiisset, & conviciis Prophetam fuisset
prosecutus, confestim unacum Felice
Monacho, Compluti nato, sed origine
Afro,

Afro, interficitur. Utrique caput am-
 putatum. Eadem die hora circiter no-
 na Sanctimonialis nomine Digna ex Mo-
 nasterio Tabanensi, cui Elisabetha præ-
 erat, ad accipiendam Martyrii palmam
 cucurrit. Illa haud multo abhinc tem-
 pore per somnum conspiciere sibi vide-
 batur Agatham, lilia & rosas ferentem,
 sibi florem porrigentem, & invitantem
 ad sui imitationem. Ex illa die crevit
 Martyrii desiderium, & fama ad eam per-
 lata Anastasium & Felicem pro Jesu Chri-
 sti nomine mortem fortiter oppetiisse,
 omnis moræ impatiens Monasterii clau-
 stris clam apertis strenue Cordubam con-
 tendit, ubi conspectum Judicis subiens,
 imperterrita quærit; quare occidisset
 Fratres suos, veritatis Confessores? ad-
 didit Confessionem Fidei, & opprobria
 in Religionem Mahometis. Nihil cun-
 ctatus Judex a lictoribus puellam decol-
 lari, corpusque pedibus sursum versis
 cum duobus aliis Martyribus in equuleo
 suspendi. Una itaque die hi tres Mar-
 tyres, nempe decima quarta Junii Æra
 891. seu anno Salutis 853. passi sunt.
 Die altera Benildis, fæmina ætate jam
 provecta, & magna pietate conspicua
 idem Martyrii genus consummavit; at-
 que Ecclesia quatuor hos Martyres die, qua
 obierunt, colit. Cadavera postea, in-
 genti concremata incendio, & in flumen
 dispersa.

Sæculum IX.
 A. C. 853.

Martyres
 Corduben-
 ses.

Mart. Rom.
 14. & 15.
Jun. c. 9.

O o 3

Cum

Sæculum IX. Cum Columba Abbatis Martini, &
A. C 853. Elifabethæ Abbatissæ soror, illa complu-
 ribus annis junior, piissimæ sororis & Je-
 remiæ mariti ejus (*) consortio in puel-
 laribus annis tenerrime afficeretur, ma-
 gnum se Deo consecrandi desiderium con-
 cepit. Id vero mater, quæ futuras filix
 nuptias meditabatur, indigne ferens, sæ-
 pius ob hanc rem cum filia natu majore
 & genero jurgabatur. Columba multo-
 ties in matrimonium ab honestis procis
 exoptata nunquam eo adduci potuit, ut
 consentiret, & tandem morte matris li-
 bera ad Monasterium Tabanense convo-
 lans disciplinæ Martini Fratris sui insti-
 tuendam se tradidit. In Monasterio ce-
 terarum omnium exemplar facta, ut li-
 berius orationi vacaret, se solam cellulæ
 includendi licentiam obtinuit. Ecce au-
 tem, Congregatione Tabanensi crudeli-
 tate Musulmannorum in diversa sparsa,
 Moniales Cordubam in quamdam do-
 mum, quam prope Ecclesiam S. Cypria-
 ni habebant, se recipere coguntur. Ibi
 quoque Columba majore in dies perfe-
 ctionis desiderio incendebatur, cumque
 præterea multis revelationibus firmare-
 tur, quadam die e monasterio clam egres-
 sa, inquit, ubi Judex habitaret, ejus
 con-

(*) Nempe illo tempore quo etiamnum Elifa-
 betha cum Jeremia marito erat.

conspicuum subit, fidem Christianam confitetur, & blandis verbis hortatur, ut se converteret. Virginis speciem verbaque miratus Judex in Palatium deductam Satrapis exhibet. Illa etiam coram toto Senatu fidem Christi forti animo predicavit; unde Mahometani desperantes eam perverti posse, confestim ante fores Palatii necari jubent; quæ priusquam percuteretur carnifici sibi cervicem amputaturo mercedem largita est. Corpus Virginis non sicut ceterorum Martyrum expositum, sed in canistro ut erat lineis vestibus indutum in flumen projectum. Passa est autem S. Columba 17. Sept. anno 853. Æra 891. ejus corpus post sex dierum spatium quorundam Monachorum industria inventum est integrum, delatumque ad Eulogium Presbyterum, qui illud in Ecclesia S. Eulaliæ honorifice sepelivit.

S. Columbæ Virginis & Martyris exemplum secuta est S. Pomposa Monialis Pinnæ mellariæ. Istud Cænobium, S. Salvatori dedicatum, ad radicem rupis, quam apes sibi in sedem elegerant, positum erat, unde nomen, quod idem significat ac rupes mellis, traxit. Illuc Pomposa cum parentibus, fratribus & cognatis se contulerat, atque ad sublimem perfectionis gradum pervenerat. Itaque, comperto ipsa die S. Columbæ Martyrio, cum

Sæculum IX.
A. C. 853.

C. II.

Sæculum IX.
A. C. 853. jam dudum eandem palmam consequi ar-
dentissimis votis expeteret, sequente no-
cte Monasterii limen furtim egressa Cor-
dubam perguit, mane Judici se sistit, &
capite truncatur decima nona Septem-
bris. Corpus in fluvium projectum &
inde ereptum ad S. Eulaliam juxta cor-
Mart. Rom. pus S. Columbæ sepelitur. Ecclesia ve-
17. & 19. ro SS. Martyres illa, qua passæ sunt die,
Sept. colit.

§. XV.

Concilium Romanum.

Anast. to. 8. **S**ub finem ejusdem anni Leo Papa IV.
Cons. p. 101. Romæ in Basilica S. Petri Concilium
113. celebravit sexaginta septem Episcopo-
rum, ex quibus quatuor, nempe, Jose-
phus Episcopus Eporediensis, Nottingus
Brixienfis, Petrus Spoletanus & Petrus
Arretinensis ab Imperatore Lothario
missi fuere. Joannes Archiepiscopus Ra-
vennas misit Diaconum nomine Paulum,
qui suo nomine interesset. Conven-
re autem Patres die octava Dec. Indi-
ctione secunda, anno Pontificatus Leo-
nis IV. septimo, Imperii Lotharii trige-
simo septimo, Ludovici filii ejus quin-
to, seu anno Reparatae Salutis octingen-
tesimo quinquagesimo tertio. Primo
Nicolaus Diaconus Sermonem Pontifi-
cis ad Patres Concilii directum legit,
cui postquam Benedictus Diaconus no-
mine

mine Episcoporum respondisset, promul- Sæculum IX.
gati sunt Canones quadraginta duo, quo- A. C. 853.
rum triginta octo ex Concilio Eugenii II. Sup. lib.
Papæ (*) anno octingentesimo vigesimo XLVII.
sexto celebrato repetuntur cum quibus- S. II.
dam additionibus. Quatuor ultimi Ca- c. 39.
nones in hoc Concilio conditi præci-
piunt, ut superfluous numerus Presbyte-
rorum, a vicinioribus Episcopis ordina-
torum, qui Romæ versabantur, minuere-
tur, cum eorum pars tertia Ministerio
peragenda sufficeret. Omnes Presby- c. 40.
teri Civitatis, & Rurales Synodum Epi-
scopi sui adire teneantur. Laici Presby- c. 41.
teros ex alia Diœcesi evocatos suæ ditio-
nis Ecclesiis sine consensu Episcopi Diœ-
cesani sub pœna excommunicationis Lai-
co, & depositionis Presbytero intenta-
ta non præfiant. Nec etiam Abba- c. 42.
tes aut alii Patroni Ecclesiastici id præ-
sumant, quia Presbyteri a nemine in of-
ficio constitui possunt, nisi ab illo, cui
competit, illos ordinare & corrigere er-
rantes, nempe, Episcopo suo.

O o 5

In

(*) In Inscriptione illius Concilii legitur: *Eugenius Sanctissimus ac ter Beatissimus & universalis Papa &c.* Alius est sensus in voce, *universalis Papa*, ac in voce: *universalis Episcopus, seu Oecumenicus*; sed & raro etiam vox *Papa universalis* occurrit.

Sæculum IX.

A. C. 853.

p. 120.

In eodem Concilio depositus est Anastasius Presbyter Cardinalis Ecclesiæ Romanæ Tituli S. Marcelli. Is per quinquennium relicta Roma in Diœcesi Aquilejensi versabatur, quem Papa quater per litteras monitum in duobus Conciliis ob culpam inobedientiæ excommunicaverat. Tum Papa Ravennæ apud Imperatorem Ludovicum juniorem commorans, obtinuit ab eo Mandatum ad Anastasium Presbyterum directum, quo ad Ecclesiam suam redire jubebatur, atque Episcopo Brixienti & Comiti Adalgiso præcipiebatur, ut eum reduci curarent. Elapsa die ad reditum præstituta eum Pontifex Episcopis consentientibus anathemate percussit. Ravenna deinde Romam reversus, cum sciret Anastasium usque Clusium in Thuscia venisse, misit ad eum tribus (*) Episcopis ad Concilium decima quinta Nov. eodem anno 853. celebrandum vocavit. Ille iterum mandata contempsit.

Itaque Pontifex in hac Synodo octava die Dec. Epistolam, in qua dicta omnia

(*) Addam hic Natalis Alexandri brevem Reflexionem: Maximam jam tunc fuisse Cardinalium Dignitatem cogita, cum tres Episcopi Cardinalem ad Synodum Canonice vocaturi mittantur. Sed ad Residentiam Cardinales obligatos fuisse inde collige.

nia referrebantur, recitari iussit. Tres quoque Episcopi ad Anastasium missi, quid egissent, retulerunt, & mandata, quæ ferebant, lecta. Tum Papa ex Episcopis ab Imperatore missis quæsit, cur hunc Presbyterum, ut sibi mandatum fuerat, non sisterent, qui responderunt, eum a se inveniri non potuisse. Tandem ex sententia totius Concilii, & secundum Canonem tertium Antiochenum (*) Presbyter Anastasius deponitur, atque huic Decreto Papa, Ludovicus Imperator, Episcopi præsentis quinquaginta novem, absentium Legati octo, Presbyteri viginti, & Diaconi Ecclesiæ Romanæ sex subscribunt.

§. XVI.

Leopolis conditur.

Civitas Centumcellensis annis jam prope quadraginta deserta dirutis mœnibus patebat incurfibus Saracenorum; unde incolæ in lucos & montes se receperant timidi & belluarum instar errantes. Leo Papa commiseratione motus illo se conferens locum commodum ad condendam civitatem quæsit; quo inde duodecim millibus in monte invento,

(*) Hic nota, quanta Romæ in Synodo Summo Pontifice præsidente Canonum in Concilio Provinciali editorum Reverentia fuerit.

Sæculum IX.
A. C. 853.

Sup. Lib.
XII. §. 12.

Anast.

Sæculum IX.
A. C. 854.

Sup. Lib.
XLVIII.

§. 59.

v. Baudr.
Centumcell.

Post.
Theoph. IV.
n. 21. 36. 37.

n. 38.

to, molitus est novam civitatem eam-
que de nomine suo Leopolim appellavit.
Illam eodem ritu, quo prius Civitatem
S. Petri dedicavit, totam pedibus cir-
cumiens, & mœnibus aquam benedictam
aspergens. Missa deinde celebrata po-
pulum liberali largitione recreavit. Ec-
clesiis quoque hujus novæ Civitatis, quæ
decima quinta Octobris anno Pontifica-
tus sui octavo, seu anno Salutis octingen-
tesimo quinquagesimo quarto dedicata
est, ingentis pretii dona contulit. Po-
sterioribus sæculis cum minus commo-
dus videretur loci situs ad antiquam ci-
vitatem Centumcellensem, quæ ideo I-
talico sermone *Civita Vecchia* seu vetus
Civitas dicta in littore maris, reversi
sunt.

§. XVII.

Michaelis Imperatoris impietas.

Interim Constantinopoli Michael Impe-
rator grandior factus Barda Avunculo
impellente, qui sub nepotis umbra Re-
gnum affectabat, Theodoram Matrem e
Regia expulit. Nempe & juvenis &
Dominus in omnem vitæ licentiam effu-
sus, & Circi spectaculis summopere gau-
dens, vehicula ipse regere gestiebat, a-
gasonibus usque adeo familiaris, ut eo-
rum liberos e fonte Baptismi levare non
dedignaretur. Obsidebatur turba disso-
luto-

lutorum hominum, quos honore profe- ^{Sæculum IX.}
 quebatur, & Religionem ludibrio habens ^{A. C. 854.}
 volebat eos vestibus Pontificiis auro tex-
 tis indui, & cæremonias, quas Christia-
 ni sacrosanctas habent, per ultimum con-
 temptum imitari. Eorum præcipuum
 nomine Theophilum cognomento Gryl-
 lum Patriarcham appellabat, ceteris ve-
 ro nomina undecim Metropolitanarum,
 qui, aliis præfecti, Sedi tamen Constan-
 tinopolitanæ subiciebantur, tribuebat,
 & se ipsum, nam societatem impiam non
 respuebat, Colonensem vocari patieba-
 tur. Cantum Ecclesiasticum ludentes
 citharis imitabantur, jam mollius, jam
 fortius fides tangentes, ut sonum Sacer-
 dotis submissa vel elata voce orantis ex-
 hiberent. Vasa habebant gemmis or-
 nata, quæ implentes aceto & sinapi Com-
 munionem Fidelibus porrigere simula-
 bant.

Ritu solemniori per Civitatem bini &
 bini procedebant, & Gryllus asino ve-
 hebatur omnibus aliis sequentibus. Cum-
 que quadam die in platea insanientibus
 Ignatius Patriarcha inter publicas pre-
 ces cum Clericis suis procedens occur-
 reret, Gryllus optatissimam occasionem
 captans, levata casula ludere fidibus cœ-
 pit. Cunctis deinde sociis chordas tan-
 gentibus ingenti strepitu orantes turba-
 runt, Patriarcham Clericosque ipsius
 con-

Sæculum IX. conviciis insolentissime insectantes. A. C. 854. A-
lia die Michael Imperator Theodoram
matrem moneri jubet, ut veniret & Be-
nedictionem Patriarchæ acciperet. Piis-
sima matrona credidit adesse Ignatium,
venerabunda accurrit & in pavimento
se prosternit. Aderat vero Gryllus bar-
bam & faciem occultans, qui inter vo-
ces petulantissimas obscenum alvi crepi-
tum edens addidit: *Damus tibi, Domi-
na, quod habemus.* Imperatrix contu-
melia immani exacerbata, & hunc Pa-
triarcham execrata est & filium suum,
cui prædixit, fore, ut Dei auxilio desti-
tueretur.

Id. n. 13.
Simeon.
Mag. n. 20.

Id. n. 13.
Post.
Theoph. n. 22

vit. Ign. p.
1194.

Tandem anno Michaelis decimo ter-
tio, salutis octingentesimo quinquagesi-
mo quarto mater compellente filio e Re-
gia discessit, comam sibi & filiabus ab-
scindi passa est, in Monasterium migra-
tura. Conatus est etiam Imperator I-
gnatium Patriarcham ad conferendum
eis habitum Monasticum permovere,
quod autem facere constanter detrecta-
vit, dicens: *Cum Ecclesiæ hujus regi-
men susciperem, scripto promisi & ju-
ravi, nihil me unquam facturum, quod
saluti tuæ & gloriæ noceret. Quid e-
nim deliquerunt optimæ Principes, quo-
tam male haberi meritæ essent?* Hæc e-
locutus Patriarcha recessit. Imperator
vero matrem sororesque in Palatio, quod

a Ca-

a Cariano dicebatur, arctæ custodiæ tradidit. Interim Bardas Theodoræ frater, vir rebus gerendis aptus, sed vitiis depravatus, nepotis vecordia in rem suam usus totam sibi soli potestatem usurpabat.

Sæculum IX.
A.C. 854.

§. XVIII.

S. Ansharius Episcopus Bremensis.

In Saxonia S. Ansharius, irrumpentibus Normannis, jam anno 845. Ham-
burgo expulsus, nihilominus Barbarorum conversioni incumberebat, alimenta accipiens e Monasterio Turholtensi in Belgica, quod sibi Ludovicus pius dederat. Cum vero Rex Carolus, in cuius Regno Monasterium positum erat, illud cuidam Procerum suorum, nomine Regnario, donasset, Ansharius ad extremam redactus est paupertatem. Monachis Corbejæ veteris, qui eum secuti fuerant, ad Monasterium suum reversis, & compluribus aliis ab eo diffugientibus cum paucis tamen Discipulis remanentibus boni Pastoris officio vacare non destitit. Rex Ludovicus, in cuius Ditionibus pio labori Ansharius insudabat, miseratus quærebat remedium, quo illius inopiæ consulere; cumque in illa Regione nullum esset Monasterium, quod ipsi conferre posset, statuit ei dare Episcopatum Bremensem, illis locis vicinum, & morte

Sup. Lib.
XLVIII.

§. 31.

vita n. 35. to.

6. Añ. p. 95.

n. 36.

Sæculum IX. te Leuderici tertii illius Sedis Episcopi,
 A. C. 854. anno 849. defuncti, vacantem. Cun-
 ctabatur Vir Sanctus hanc Sedem reci-
 pere, quod timeret, ne ambitionis accu-
 saretur; quamobrem Rex in publicis
 Comitibus hanc causam proponens Epis-
 copos interrogabat, an salva Canonum
 auctoritate id fieri posset. Responde-
 runt Episcopi, omnino fieri posse, & mul-
 tis exemplis relatis suam sententiam pro-
 barunt. Itaque rebus mature pensatis,
 quod nempe Diœcesis Hamburgensis, ad
 quam regendam Ansharius ordinatus
 fuisset, limitibus admodum angustis coer-
 ceretur, & continuis Barbarorum incur-
 sibus esset obnoxia, pronunciarunt, eam
 Diœcesi Bremensi posse augeri. Ne ve-
 ro conquerendi causa daretur Walde-
 gario Episcopo Verdensi vicino, a cuius
 Diœcesi pars illa, quæ trans Albim est,
 fuerat avulsa, statutum, ut Ecclesiæ Bre-
 mensis & Verdensis ad illum statum, quo
 Ludovici pii Imperatoris temporibus
 fuerant, reducerentur. His conditioni-
 bus Ansharius Episcopatum Bremensem
 Diœcesi Hamburgensi conjunctum eo-
 dem anno 849. Ludovici Regis nono ac-
 cepit.

Postea hac mutatione in alio Conci-
 lio rursus ad examen revocata, res pa-
 rum conveniens visa, quod Sedes Epis-
 copalis, ad quam occupandam Ansha-
 rius

rius fuisset ordinatus, impetrata etiam a Sacra Sede Institutionis hujus Confirmatione, in alia Diœcesi existeret, nam Hamburgum ultra Albim positum erat, adeoque in illa parte, quæ Episcopo Verdensi reddita fuerat. Ergo Decretum editum, quo ipse hanc partem reciperet, & aliam æqualem daret, consensitque Episcopus Verdensis. At consensus Metropolitæ tunc obtineri non potuit, nempe Archiepiscopi Coloniensis, quod illa Sedes tunc vacans per decennium circiter Episcopum non habuerit.

§. XIX.

Ecclesia Suecicæ.

Interim in Ecclesia Sueciæ, ex quo Gausbertum Episcopum alio nomine Simonem Barbari inde expulerant, Presbyter non fuit. Post septennii intercapedinem, circa annum octingentesimum quinquagesimum secundum Ansharius illo misit Presbyterum Anachoretam nomine Ardgarium, ut solatium ferret Christianis ibidem in Fide perseverantibus, præsertim cuidam Viro Sancto nomine Herigario, qui Fideles nullo præsentis Presbytero confirmaverat, multaque mala a Barbaris perpeffus fuerat. Porro S. Viri Fidem Cælum editis miraculis remunerabatur. Quadam die Suecis Comitibus sua in aperto campo celebrantibus;

Hist. Eccles. Tom. XI. Pp suos

Sæculum IX.

A. C. 854.

n. 32.

vit. n. 25.

n. 26.

Sæculum IX.
A. C. 854.

suos laudantibus Deos, quibus sua opinione magna beneficia in acceptis referebant, & Herigario exprobrantibus, quod solus vanam Religionem sequeretur, dixit: *Eja! miraculis probemus, quanam Deorum potentior sit, vestrine, an meus? statim, ut videtis, nubes in pluvias solventur. Rogate Deos vestros, ut nulla aquæ gutta super vos cadat, & ego quoque a Domino meo Jesu Christo petam, ut non madescam.* Ergo illi ex una parte confident, & ipse cum uno servulo ex adversa. Ecce vero decidens maximus imber usque adeo Infidelium vestimenta penetravit, ut ex fluvio primum emeruisse viderentur. At in Herigarium & in puerum nec una cecidit guttula; quod Deorum cultoribus ingentis pudoris causa fuit. Factum aliquando ut Herigarius læso crure ingredi non valeret; amici decumbentem inviserunt, suadent aliqui, ut ad sanitatem recuperandam Diis sacrificaret, alii dicebant, valere non posse, qui nullum Deum coleret. Cum tandem hæc jurgia ultra ferre non posset, petiit in Ecclesiam deferri, & cunctis audientibus oravit in hunc modum: *Domine mi Jesu Christe! sana me hoc momento, ut cognoscant hi miseri homines, te esse solum Deum, & ad te convertantur.* Illico sanatus, nullius adminiculo ex Ecclesia recessit.

Qui-

Quidam Rex *Sueonum*, seu Suecorum, e suo Regno ejectus, Danis auxilium ferentibus, Bircam obsidebat. Jamque periculum urgebat, ne hostes superatis mœnibus urbem diriperent. Tunc vero civibus, quos mercatura prædivites fecerat, trepidantibus, & opem Deorum suorum implorantibus, Herigarius (hujus quippe Civitatis præfectus erat) indignans ait: *Quo usque Dæmonibus servietis, & pessima superstitione Rempublicam subvertetis? dona maxima Diis vestris obtulistis, plura vovistis; ubi vero auxilium?* His permoti cives salutem suam ipsius arbitrio committunt, & ejusdem secuti consilium, Jesu Christo promiserunt, jejunia se servaturos & largas daturus eleemosynas. Interim Rex urbem obsidens Danis ad consilium vocatis ait: *Plures intus Deos habent; est & Ecclesia Jesu Christi Sacra Deorum potentissimo. Consulamus Deos, an per fata vobis hanc urbem expugnare permittatur.* Danis consentientibus, ita enim mos gentis ferebat, ex certis indiciis omen ceperunt, se urbis neutiquam potituros. Ergo ipsis iter altera die capeffentibus Birca liberata est. Herigarius favente occasione usus cives hortabatur, ut Jesum Christum Deum colerent, & ubicunque versaretur, fidem intrepide prædicabat. Perseveravit ve-

Sæculum X.

A. C. 854.

c. 28. 29. 30.

Herigarius
in Suecia
Christianus.

n. 31.

Sæculum IX. ro usque in finem, & ad extrema dedu-
 A. C. 854. cto Presbyter Ardgarius adfuit, qui eum
 Viatico munivit.

n. 32.

Ardgarius Sacra Communionem quoque refecit sanctam quamdam foeminam nomine Frideburgim, præcipuum nascentis illius Ecclesiæ ornamentum. Hanc nulla unquam improborum perversitas a Fidei suæ rectitudine abstrahere potuit, dicere solitam: *Si malum est hominibus mentiri, quanto magis Deo? Dominus meus Iesus Christus omnipotens est. Ipse mihi, si in ejus Fide persevera- vero, omnia quibus indigero, præstare poterit.* Cum pro- vecta ætate premererur, & nullus adesset in Suecia Sacerdos, morti jam proximam se credens, præcepit filia, ut curam haberet aliquantulæ portionis vini, quod in vasculo reservatum fuerat, & si quando sibi ultimum tempus instaret, de ipso vino, quia Sacrificium non habebat, quod sciebat esse Viaticum Christianorum, sibi in os distillaret. Hoc vinum tribus fere annis apud eam conservatum est, (*) & ex hoc exemplo li-
 quet,

v. Mabill.
 præf. to. 3.
 Act. n. 75.

(*) Hic adjecit Mabillonius: *Hunc locum pro Viatico sub utraque specie notavi in præfatione Sæculi III. n. 75. Inde tamen non sequitur, semper & ubique Viaticum sub utraque specie ad moribundos fuisse delatum. Ceterum*

Sæculum IX. A. C. 854. mendum vinum seque refocillandum ex-
penderat. Prodigium ad Presbyteros
quoque, quos melior fama commenda-
bat, detulit, qui re comperta, *quia, in-*
quiebant, Matri tuæ obedivisti, hoc fide-
litatis tuæ præmium tibi Cælum confert.
Hoc jam signo quod Mater tua in Domi-
na salva sit firmiter crede, Et hoc mira-
culo admonita, tu quoque pro Christo tua
dare ne timueris.

Hæc miracula, si quæ alia, fide di-
gna sunt, cum in vita S. Anscharii a S.
Remberto ejus discipulo & Successore
referantur. Deinde si affirmare licet, de-
cuisse Deum non nunquam miracula e-
dere, certe tunc oportuit, quando no-
vellæ Ecclesiæ in fide confirmandæ erant.
Ceterum Ardgarium Presbyterum ad
id solum in Sueciam venisse videri po-
tuit, ut hos duos Fideles in extrema lu-
ctâ juvaret, nam post excessum Heriga-
rii, amore solitariæ, quam antea duxe-
rat, vitæ locum suum repetiit; sicque
denuo Christiani inibi positi Sacerdotali
sunt præsentia destituti.

¶.34.

§. XX.

Initia Ecclesiæ in Dania.

vit. n. 41.
v. Hens. 3.
Febr.

Anscharius Fidem in Daniam invehere
conabatur, unde Horicum seu E-
ricum, qui tunc solus monarchiam regni
tenebat Danorum, frequentius adiens,
mun-

muneribus & quibuscunque poterat obsequiis conciliare sibi studebat, ut sua ^{Sæculum IX.} A. C. 854. licentia prædicationis officio in Regno eius fungi posset. Aliquoties namque regia etiam legatione ad eum mittebatur, & quæ ad fœdera pacis seu utriusque Regni utilitatem pertinebant, strenue & fideliter peragebat. Quare cognita S. Viri fide & bonitate Rex multo eum affectu cœpit venerari, libenter ejus consilio etiam in arcanis uti, & familiarissimum in omnibus habere. Fœdera cum Saxonibus inita illius fide volebat firmari, dicens id sibi fidissimum & certissimum esse, quod ipse spondidisset. Hac igitur familiaritate in rem suam usus S. Anscharius cœpit eum hortari, ut Christianus fieret. Rex quoque omnia, quæ sibi de S. Scriptura suggererentur, benigne audiebat, & bona prorsus ac vere salutaria esse laudabat. Tandem S. Episcopus ab eo petiit, ut in regno suo Ecclesiam extrui pateretur, ubi Sacerdos semper adesset, qui Verbi Divini semina ac Baptismi gratiam quibuscunque suscipere volentibus traderet. Concessit Rex benignissimo affectu, quod rogabatur, & in portu Regni sui *Schleswic*, mercatorum undique advenientium frequentia celeberrimo, Ecclesiam fabricari permisit. Ergo S. Episcopus, quod diu exoptaverat, perficit, Presbyterum

Sæculum IX. A. C. 854. ibi constituit, qui Dei Gratia fructuose prædicare Evangelium cœpit. Multi namque ibi antea erant Christiani, Dorstati olim aut Hamburgi baptizati, quorum aliqui Primores ipsius vici habebantur, & gaudebant facultatem sibi datam, Christianam Religionem libere profiterendi. Horum exemplo multi quoque alii & viri & feminae convertebantur, factumque est gaudium magnum in illo loco præsertim accedente lucro temporali, quippe Dorstatenses & Hamburgenses mercatores fide publica tuti Schleswicum frequentius confluebant. Verum plerisque horum Neophytorum factis erat signaculum Crucis recipere, ut Catechumeni fierent, quo eis Ecclesiam ingredi & Sacris Officiis interesse liceret; Baptismi tamen susceptionem differebant usque ad finem vitæ, hoc sibi bonum dijudicantes, si tunc lavacro salutari abluti, puri & immaculati vitæ æternæ januas intrarent. Multi quoque apud eos infirmitatibus detenti, cum se frustra Idolis pro Salute sua sacrificasse viderent, Christianos se futuros vovebant, & accito Sacerdote perceptaque Baptismi Gratia statim incolumes divina largitate fiebant. Ita magna Danorum ad Fidem Christi conversa est multitudo.

§. XXI.

Sæculum IX.

A. C. 854.

Res Ecclesiæ in Suecia.

Interim Ansharius summopere dolens, quod jam secundo Sueci Fideles Sacerdotis Ministerio privati essent, a Rege Erico literas commendatitias poposcit, quibus instructus sub ejus præsidio illam gentem adire posset. Hac de re etiam consilia contulit cum Gausberto Episcopo, olim in illam regionem a se misso, metuens, ne Fides Christi in illis partibus olim prædicata eorum negligentia ex toto deperiret. Respondit Gausbertus, se jam ante expulsus illo redire non audere, ne major tumultus excitaretur, & addidit: *Magis congruum mihi videtur, si tu ipse eas, qui hanc legationem primo suscepisti, quique benignissime ibi habitus fuisti. Mittam vero tecum Nepotem meum, qui ibi, si locus prædicandi sit, remaneat, & Sacerdotali apud eos officio fungatur.* His ita inter se constitutis Regem Ludovicum adierunt, qui hanc licentiam lubentissime dedit, & Anshario Episcopo tanquam suo ad Regem Sueciæ Legato literas commisit.

In Sueciam proficiscenti Ericus Rex Daniæ comitem itineris dedit suo nomine ad Regem Sueciæ *Olef*, seu *Olaum*, Legatum cum mandatis; diceret, *Servum Dei*, qui a Rege Ludovico missus

Pp 5

fines

n. 43.

Sæculum IX. fines Regni ejus peteret, sibi esse per omnia cognitum, ac se in vita sua nunquam tam bonum vidisse hominem, nec in quoquam mortalium aliquando tantam fidem invenisse. *Hinc illi, inquit, concessi in regno meo omnia facere, quæ ad invehendam Religionem Christianam utilia erant. Rogo te itaque, ut eandem gratiam ipsi exhibeas, quippe nihil aliud, quam quod bonum & rectum est, perficere cupit.* Anscharius susceptum peragens iter viginti ferme diebus navigatione transactis Bircam pervenit, ubi Regem & multitudinem populi maximo errore confusam habuit. Quidam enim homo illo advenerat dicens, se in Conventu Deorum, qui ipsam terram possidere credebantur, adfuisse, & ab eis missum, ut hæc Regi & populis Deorum nomine nunciaret: *Diu est, quod nos vobis propitios habuistis. Terram vestram nostro adjutorio in pace & prosperitate longo tempore tenuistis; vos quoque nobis Sacrificia & vota debita persolvistis, gratæque nobis vestra fuerunt obsequia. At nunc & Sacrificia solita subtrahitis, & vota spontanea segnius offertis; & quod magis nobis displicet, alienum Deum super vos introducitis. Si itaque nos vobis propitios habere vultis, cavete, ne alterius quoque Dei cultum, nostro contrarium, recipiatis.* Porro, si novum Deum

S. Anscharius in Suecia.

Deum habere cupitis, Ericum quondam Regem vestrum nos unanimes in collegium nostrum adsciscimus. His ergo monitis Sueci perturbati templum in honorem supra dicti Regis dudum defuncti struxerunt, & ipsi tanquam Deo vota & Sacrificia offerre cœperunt.

Adveniens itaque illuc S. Episcopus ab amicis suis quondam ibi cognitis quaesivit, quomodo Regem hac super re interpellaret. Qui omnes asserebant, nihil omnino ea vice Legationem ejus posse proficere, sed si quid haberet pretii, eo uteretur, ut vivus inde evaderet. Quibus ille, si Dominus meus, inquit, de me ita decrevit, pro ejus nomine paratus sum hic & tormenta subire, & mortem pati. Tandem accepto consilio Regem ad suum invitavit hospitium. Cui convivium exhibens, dona obtulit, & Legationis suæ mandata aperuit; nam & antea causa adventus ipsius eidem Regi denunciata fuerat. Qui delectatus hospitis benevolentia, se quidem quæ ille suggererat gratanter velle respondit, *sed hanc Legationem vestram, inquit, confirmare nec possum nec audeo, priusquam sortibus Deos nostros consulam, & populi quoque, in cujus, si unanimes sit, voluntate, quodcunque negotium publicum, magis quam in Regia potestate positum est, sententiam explorem.* Mit-

te

Sæculum IX.
A. C. 854.

n. 46.

Sæculum IX. *te ex tuis aliquem ad conventum nostrum*
A. C. 854. *proxime celebrandum, & ego pro te lo-*
quar populo, tum Responsum tibi notum
faciam.

n. 47

Hoc Responso accepto Episcopus totum se ad Domini convertit Refugium jejuniis & orationibus vacans, donec interiore luce roboratus cognovit, sibi omnia proventura uti vellet. Rex congregatis primo principibus suis de Episcopi Legatione cum iis tractare cœpit; qui dixerunt, consulendos esse Deos. Exeuntes igitur more gentis in campos fortibus missis apparuit, Dei voluntate Christianorum Religionem ibi esse inve-

n. 48.

Suecorum
 Conventus.

hendam. Cujus facti unus ex Primoribus S. Episcopi amicus eundem confestim certiolem fecit. Cum deinde præstituta dies Comitiorum, quæ in vico Birca habita, advenisset, Præcone, ut consuetudo poscebat, ex Regis mandato Legationis ipsorum causam vulgante, populus diversa sentire & fremitum edere. Cum vir gravis & canitie venerandus consurgens in medio plebis, *audite me Rex & populi, dixit, Cultus illius Dei jam pridem permultis ex nobis cognitus est, scimus, quod magnum in se sperantibus subsidium afferat; nam plures ex nobis id in periculis terra marique experti sunt. Quare ergo abjicimus, quod necessarium nobis & utile scimus?*

mus? aliquando nempe quidam ex nobis ^{Sæculum IX.}
 Dorstatum adeuntes, hujus Religionis A. C. 854.
 normam, quam profuturam sibi sentie-
 bant, spontanea voluntate suscipiebant.
 Nunc piratarum infestatione periculo-
 sum valde nobis iter illud factum est;
 quod ergo tam longe positum prius qua-
 rebamus, hic nobis modo oblatum quare
 non prensamus? Hoc ergo ita perorante
 omnis multitudo populi unanimis effecta
 consensus, ut secum Sacerdotes essent, &
 quæ competebant Mysteriis Christi fie-
 rent. Rex statim gratissimum nuncium
 ad Episcopum deferri jubet, significans,
 necdum tamen se plenam ei licentiam
 concedere posse, donec in alio Conven-
 tu, in altera Regni sui parte celebrando,
 id ipsum populis ibi positis nunciatum
 fuisset. Sed ibi quoque omnia secundum
 ardentissima S. Viri vota feliciter eve-
 nerunt.

Tum Rex vocato ad se Episcopo jus-
 sit Ecclesias extrui, Presbyteros recipi,
 & quicumque vellent de populo, nemine
 obistente, Christianos fieri liceret. E-
 piscopus autem nepotem Venerabilis
 Gausberti Episcopi Erimbantum Presby-
 terum Regi commendavit, cui Rex in
 illo Vico atrium ad Oratorium ædifican-
 dum dedit promisitque, semper se fidis-
 simum Religionis Christianæ Defensorem
 futurum. Sic per Domini Gratiam rite
 omni-

Seculum IX. omnibus peractis S. Episcopus in Saxo-
A. C. 854. niam rediit.

s. 51.

Post hanc profectionem Rex Olaus expeditionem paravit in Choros (qui hodie Curlandi dicuntur) olim Suecis subiectos. Cum vero quamdam eorum civitatem adversa fortuna obsideret, & periclitaretur exercitus, quærendum sortibus statuit, quid sibi esset faciendum; at nemo Deorum promittebat auxilium. In his angustiis quidam mercatorum memores Doctrinæ & Institutionis S. Episcopi hortati sunt Suecos, ut Deum Christianorum invocarent. Ergo iterum Sors mittitur, eisque indicatur, quod Christus eis auxiliari vellet. Tunc confirmatis omnium animis & pugnam intrepide deposcentibus Curlandi ne quidem prælii fortunam experiri ausi urbem melioribus, quam ipsi Sueci sperabant, conditionibus dedunt. Quærentibus deinde plerisque, quæ vota facere Christo Domino pro tanta victoria oporteret, a Christianis mercatoribus edocentur, Jesu Christo placitissimum fore, si jejunia & eleemosynas voverent, si nempe ad sua reversi, postquam domi septem dies essent, alios septem a carne omnes pariter abstinerent; sed & postea quadraginta diebus evolutis iterum quadraginta sequentes ab esu carnis se continerent. Cum hoc statutum cuncti libenti

benti animo perfecissent, ex eo tempore **Sæculum IX.**
 Erimbertus Sacerdos apud eos, quæ Dei **A. C. 854.**
 sunt, maximo Religionis Christianæ in
 Suecia incremento, libere egit.

§. XXII.

Ecclesia Danorum.

At in Dania subita rerum vicissitudo
 nascentem Ecclesiam turbavit. Quip- ^{n. 54.}
 pe Normannis, postquam inde egressi ^{Ann. Fuld.}
 Franciam annos viginti continuos deva- ^{854. Bertin.}
 stassent, tandem denuo collectis & in pa- ^{cod. Chro.}
 triam reversis, ortum est bellum inter ^{Norm.}
 Regem Ericum & ipsius Nepotem, qui
 e regno ab Erico ejectus comparata clas-
 se Piraticam hæctenus fecerat. Pugna-
 tum atrociter, tantaque strages edita, ut
 casorum multitudo innumerabilis vide-
 retur, Divino Numine tot Christiano-
 rum a Normannis occisorum sanguinem
 ulciscente. Rex quoque Ericus inter-
 emptus, & ex genere Godefridi paren-
 tis ejus unicus superfuit puer, & ipse E-
 ricus nominatus, quem Dani Regem sa-
 lutarunt. Porro Proceres, quos habe-
 bat S. Anschario ignotos, ei persuaserunt,
 ut Religionem Christianam rejiceret di-
 centes, Deos suos sibi iratos esse, & quod
 ideo tanta eos mala invenerint, quia al-
 terius & ignoti Dei cultum recepissent.
 Inter omnes Religioni Christianæ ne-
 mo infensior Præfecto Sleswicensi, no-
 mine

Sæculum IX. mine *Hovi*; qui Ecclesiam ibi constru-
A. C. 854. etiam jussit claudi, & Fidei Christianæ ri-

tus prohibuit observari; unde & Presbyter, qui aderat, persecutionis acerbitate compulsus recessit. Itaque S. Ansharius sollicitus & tristis, quia tunc cum Erico juniore nullus erat amicorum suorum, quos antea largissimis donationibus sibi conciliaverat, humano destitutus auxilio more solito ad Divinum recurrit. Nec fefellit eum spes sua. Nam cum hujus rei causa ad Regem ire pararet, qui Præfectum Sleswicensem, sibi invisum, expulerat, misso ad S. Episcopum Legato rogavit, ut Sacerdotem illum ad propriam remitteret Ecclesiam, asserens, non se minus quam Seniore Ericum Christi velle Gratiam promereri, & ipsius Episcopi amicitiam obtinere. Quo facto cum S. Ansharius ad Regem venisset Duce Burchardo utriusque Regis propinquo tanta gratia a juvene Rege exceptus est, ut statim ei omnia, quæ olim Antecessor suus, concederet. Insuper etiam, quod antea nefandum paganis videbatur, ut Clocca † haberetur in Ecclesia, item ut in vico, Ripa vocato, nova fabricaretur Ecclesia, & Sacerdos ibi adesset, consensit.

† Campana

Dum hæc agerentur, Gausbertus Episcopus quemdam Presbyterum, nomine Anfridum, ex gente Danorum oriundum

&

ab Ebbone olim Archiepiscopò Remensi Sæculum IX.
 in Dei Servitio educatum, in Sueciam mi- A. C. 854.
 sit. Qui cum illo pervenisset, Sacerdo-
 te Erimberto redeunte, tribus annis ibi-
 dem est commoratus omnibus carus. Ve-
 rum audito Gausberti Episcopi obitu
 exinde reversus post breve temporis
 spatium & ipse moritur. Porro S. An-
 scharius, ne Fides Christiana ibi interi-
 ret, quemdam ex suis Presbyteris nomi-
 ne Raginbertum illo misit, qui in itinere
 latrocinantium insidiis captus & spolia-
 tus postea vita functus est. Sed S. E-
 piscopus ab incepto se retrahi nequaquam
 passus alium Presbyterum pro hac Mis-
 sione a se ordinatum, natione Danum,
 nomine Rimbertym illo direxit, qui a
 Rege populoque benigne susceptus Di-
 vina apud eos Mysteria libere celebra-
 bat illo adhuc tempore, quando S. An-
 scharii Successor ipsius vitam scribebat.
 S. Anscharius Presbyteros, quos ad Gen-
 tiles convertendos mittebat, hortabatur,
 ut nullius alterius rem concupiscerent
 nec peterent, sed ut magis exemplo Bea-
 ti Pauli Apostoli ipsi quoque manibus la-
 borarent, & victu & vestimento conten-
 ti essent; ipse tamen, quidquid necessa-
 rium habebant, eorumque sociis, insu-
 per si quid pro amicis sibi acquirendis
 dandum erat, de suo abundanter suppe-
 dita-

Hist. Eccles. Tom. XI.

Qq

dita-

Sæculum IX. ditabat. Hæc fuit Ecclesiarum in Sue-
A. C. 855. cia & Dania origo.

§. XXIII.

Concilium Valentinum tertium.

De ten. ver.
Sor. c. 2.

Maug. diff.
s. 35.

20. 8. p. 134.

In Francia quatuor Articuli, ab Hincma-
ro in Conventu Carisiacensi editi, o-
pera quorundam piorum virorum ad Ec-
clesiam Lugdunensem transmissi, atque
ab Archiepiscopo Remigio præsentibus
Clericorum suorum doctissimis ad exa-
men vocati, omnium animos offende-
runt; quod nempe Auctoritas Scriptu-
ræ, Patrum & præsertim S. Augustini op-
pugnari videretur. Ergo Remigius hos
quatuor Articulos vulgato libello cum
Titulo: *Veritati Scripturæ esse inhæren-*
dum, refutare aggressus, præcipue ge-
minam Prædestinationem Electorum &
Reprobatorum asserit. Majore deinde
Auctoritate eandem Doctrinam in Con-
cilio Valentino tertio, jubente Lothario
Imperatore Regni ejus anno decimo
quinto, Indictione tertia, seu anno In-
carnationis Dominicæ octingentesimo
quingentesimo quinto, die octava Janua-
rii, congregato stabilivit, cum in Causa
Episcopi Valentini, cui diversa crimina
objiciebantur, Patres convenissent. Ade-
rant Episcopi quatuordecim ex tribus
Provinciis cum suis Metropolitibus, qui
Concilio præerant, nimirum Remigio
Lug-

Lugdunensi, Agilmaro Viennensi, & Ro- Sæculum IX.
 lando Arelatensi. Ebbone autem Gra- A. C. 855.
 tianopolitano inter Episcopos præsentibus
 nullus illustrior. Causa Episcopi Valen-
 tini finita, conditi sunt Canones viginti
 tres, quorum primi sex ad Doctrinam
 spectant. *Novas voces, inquit Episcopi,*
& garrulitatem audacem, unde
contentiones & scandala nascuntur, de-
vitamus; at S. Scripturam, eosque Do-
ctores, qui eam clare exposuerunt, Cy-
prianum, Hilarium, Ambrosium, Jero-
nimum, Augustinum aliosque Catholicos
indubitanter amplectimur. Nam de Præ-
scientia Dei, de Prædestinatione & de
quæstionibus aliis, in quibus Fratrum a-
nimi non parum scandalizantur, illud
tantum firmissime tenendum esse credi-
mus, quod ex maternis Ecclesiæ visceri-
bus nos hausisse gaudemus.

6. 1.

Deus ab æterno præscivit, & bona
 quæ boni erant facturi, & mala quæ mali
 gesturi erant. Prævidit, eos per suam
 Gratiâ bonos futuros, & per eandem
 Gratiâ mercedem æternam accepturos.
 Prævidit, alios per propriam malitiam
 malos futuros & per suam Justitiâ æ-
 terna ultione damnandos. Præscientia
 Dei nulli peccatori necessitatem imposuit.
 Nemo ex Dei præjudicio damnatur, sed
 quemlibet malum ex merito propriæ ini-
 quitatis credimus condemnari. Nec ipsos

6. 2.

Q 9 2

dicimus

Sæculum IX. *dicimus malos ideo perire, quia boni esse*
A C. 855. *non potuerunt, sed quia boni esse nolue-*

6. 3.

runt, suoque vitio in massa damnationis () permanserunt. Constanter fate-*
mur prædestinationem electorum ad vi-
tam, & prædestinationem impiorum ad
mortem; in electione tamen salvandorum
miser ricordiam Dei præcedere meritum
bonum, in damnatione autem perituro-
rum meritum malum præcedere justum
Dei iudicium. Quippe Deus prædestina-
tione ea tantum statuit, quæ vel gratui-
ta misericordia vel justo iudicio factu-
rus erat. Hinc in malis ipsorum mali-
tiam tantum prævidit, quia ex ipsis &
non ex ipso est. Sed prævidit, quia o-
nia videt, & prædestinavit, quia justus
est, pœnam malorum meritum sequentem.

Prædestina-
 tio Bono-
 rum & Ma-
 lorum.

Ceterum aliquos Divina potestate ita ad
malum prædestinari, ut aliud esse non
possint, non solum non credimus, sed etiam,
si quis credat, ei anathema dicimus. Item
de Redemptione Sanguinis Christi, illi
nimum errant, qui asserunt, effusum
fuisse etiam pro illis impiis, qui a Mundi
exordio usque ad Passionem Domini
in sua impietate mortui æterna damna-
tione puniti sunt. Sed simpliciter &
fideliter

(*) In ipso Concilio legimus etiam verba:
Vel merito originali vel etiam actuali permanserunt.

fideliter tenemus, quod pro illis solummodo hoc Sanguinis pretium datum sit, qui in Jesum Christum credunt. (*) Ceterum rejicimus Capitula quatuor, quae a Concilio Fratrum nostrorum minus prospere suscepta sunt, quia sunt inutilia, noxia, & veritati adversa. Sed & alios XIX. Articulos syllogismis ineptissime conclusos, in quibus commentum Diaboli potius, quam argumentum aliquod Fidei deprehenditur, damnamus, Auctoritate Spiritus Sancti interdici- mus, & novarum rerum auctores distri- ctius castigandos esse censemus. Qua- tuor Articuli, sunt illi, quos Conci- lium Carisiacense edidit. Et Articuli XIX. sunt illi, qui in libro Joannis Sco- ti

Q q 3

ti

(*) Haec minus Catholice dici videntur. Cardinalis Baronius ad hunc locum filet, sed P. Pagi in sua Critica Patres Concilii Valenti- ni explicat in hunc modum: Id ergo volue- runt unum illius Synodi Patres, Christum non pro illis mortuum esse, qui a mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui, aeterna damnatione puniti sunt, ut sci- licet eos ex inferno eriperet sicut Patres ex Lim- bo. Quare sensum Carisiaci Capituli non da- mnarunt Valentinae Synodi Patres, sed alium, quem errore facti ipsi tribuerunt.

Sæculum IX. ti (*) continentur. Tum in Concilio
 A. C. 855. leguntur sequentia.

c. 5.

Item firmissime tenendum credimus, quod omnis multitudo Fidelium ex aqua & Spiritu Sancto regenerata vere a peccatis suis abluatur, cum in Ecclesie Sacramentis nihil sit ludificatorium, sed prorsus totum verum & sua sinceritate subnixum. Ex ipsa tamen multitudine Fidelium alii salvantur, quia per Dei gratiam perseverant, alii ad Salutem non perveniunt, quia irritam Redemptionis gratiam vel prava Doctrina vel vita sua faciunt.

c. 6.

De gratia, per quam salvantur credentes & sine qua rationalis creatura nunquam beate vixit, & de Libero Arbitrio, in primo homine infirmato, sed per gratiam Jesu Christi sanato, fideliter credimus, quod Sanctissimi Patres auctoritate Sacrarum Scripturarum nobis tenendum reliquerunt, quod Africana, quod Arausica Synodus professsa est, quod beatissimi Pontifices Catholica fide tenuerunt. Ineptas autem quasiunculas & aniles pæne fabulas Scotorum, quæ his gravissimis temporibus usque ad scissionem Charitatis succreverunt, penitus respuimus. Iterum Joannes Scotus Erigena hic vapulat. Cete-

(*) In Nota ad hoc Conc. additur: *De Prædestinatione Dei contra Gothescalcum editus a Mauguino.*

Ceteri Canones Concilii Valentini ^{Sæculum IX.}
 ad Disciplinam spectant. Initium duci- ^{A.C. 855.}
 tur ab Ordinatione Episcoporum. Ro-
 getur Princeps, ut Canonicam electio-
 nem Clero & populo permittere digne-
 tur. Episcopus ex Clericis ipsius civi-
 tatis, vel ex Diœcesi, vel si opus sit ex
 vicinia, vir dignus, eligatur. Si Cleri-
 cus ex Servitio Principis eligatur, pri-
 mum solícite examinetur, cujus vitæ sit,
 deinde cujus scientiæ; qua in re con-
 scientia Metropolitæ oneratur, eique in-
 jungitur apud Principem, Clericos, po-
 pulumque omnia, quæ necessaria vide-
 buntur, agere, ne Episcopus indignus or-
 dinetur. Metropolitæ cura præcipua
 sit de vita & fama ipsorum Episcoporum.
 Tanta inter Episcopos charitas sit & con-
 sensio, ut rebelles Ecclesiæ filii ad pœni-
 tentiæ humilitatem compellantur, aut si
 ab una Ecclesia fuerint excommunicati
 in nulla alia recipiantur. Duo juramen-
 ta contraria in Judicio nunquam admit-
 tantur, cum alterutrum necessario per-
 jurium sit. Non tolerantur duella, ut ut
 consuetudinis auctoritate fulciantur. Qui-
 cunque pugna alterum occiderit, ad a-
 gendam legitimam pœnitentiam modis
 omnibus compellatur. Quicumque oc-
 cisus fuerit, commemoratione in Domi-
 nica oblatione & sepulturæ Ecclesiasticæ
 honore privetur. Tandem Imperatoris

c. 19.

c. 13.

c. 11.

c. 12.

Saeculum IX. pietas imploretur, ut tantum malum editis publice decretis amoveat.

§. XXIV.

Res Italicae.

to. 8. Conc. p.
146. to. 2.
Cap. p. 349.

Mense Februarii sequente Ludovicus Imperator Lotharii filius Regni Longobardorum Episcopos Ticini congregavit. Praecipui erant Angilbertus Archiepiscopus Mediolanensis, Andreas Patriarcha Aquilejensis & Josephus Episcopus Eporianus Imperatoris Archicapellanus. Postquam Ludovicus Episcoporum sententiam de tollendis abusibus exquisivisset, conscripti sunt Articuli novemdecim; in quibus praeter alia conqueruntur Episcopi, quod quidam Laici praefertim Magnates Officio Divino interessent in Ecclesiis, quas domibus suis proximas habebant, raro ad magnas Ecclesias venirent, ubi tamen documenta necessaria percipere oporteret. *Aliqui, ajunt Episcopi, Clericos nostros sine nostro consensu suscipiunt, & Missam a Presbyteris in alia Ecclesia ordinatis, aut a talibus, quorum incerta est Ordinatio, celebrari volunt. Alii Optimates Decimas dant Ecclesiis in illorum fundis positas, aut Clericis sibi servantibus, non vero, uti tamen tenentur, Ecclesiis, in quibus Doctrinam, Baptismum, ceteraque Sacramenta accipiunt.* In hoc Concilio

c. 3.

c. 4.

c. 16.

cilio illud quoque legi potest, quantum Sæculum IX.
A.C. 855
Episcopis Dioccesim suam visitantibus præberi debuerit. Imperator vero Ludovicus dato Responso hortatur, ut Capitularia a Prædecessoribus suis edita obferrentur.

Haud multo post tempore Daniel, Militiæ Magister, Roma ad Ludovicum profectus, locutus est in hunc modum: *Gratianus Romæ Palatio præfectus, cujus tu quidem fidem suspectam non habes, hæc nuper solus ad me solum in domo sua versantem: Franci isti nihil nobis profunt, nullum præbent auxilium, imo res nostras diripiunt. Cur non Græcos advocamus, & factis fæderibus Regem gentemque Francorum pellimus?* Indicium non spernendum ratus Ludovicus Romam strenue contendit, nullis ad Pontificem vel Senatum præmissis litteris. Venientem Papa pro more super majores gradus Basilicæ S. Petri excipit, & leni sermone ira commotum delinire satagit.

Præstituta die Gratianus in iudicium vocatur, atque Imperatore Ludovico, cum Papa, Proceribus Romanorum Francorumque præsidente in Palatio, quod Leo III. prope Basilicam S. Petri ædificaverat, Daniel adversus Gratianum præsentem iterato accusationem movit, quod se ad urbem Romam Græcis tradendam sollicitasset. Gratiano & Romanis rem neganti.

Sæculum IX.
A. C. 855. gantibus, iussit Imperator, ut Daniel secundum Legem Romanorum judicaretur; convictusque est calumniæ. Itaque in manus Gratiani traditur, qui suo arbitrio injuriam ulcisceretur; sed ille ab ipso rogatus Imperatore inimicum dimisit. Ex hoc facto dispicimus, Ludovico supremum fuisse in Urbe Dominium est potestatem.

§. XXV.

Leonis IV. Obitus.

Obiit Leo IV. (*) eodem anno octingentesimo quinquagesimo quinto, decima

(*) Ad hæc ferme tempora plerique Rerum Ecclesiasticarum Scriptores de putidissima fabula Joannæ Papissæ mentionem faciunt, cujus fundamentum est illud quod in Chronico Mariani Scoti ad S. Martinum Colonix Monachi ad annos 853. & 854. legitur (scripsit vero anno circiter 1058.) *Leo Papa obiit Kalendis Aug. huic successit Joanna mulier annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor.* Alter testis est Martinus Polonus Ord. Præd. in suo Chronico, quod usque ad annum 1277. scripsit, relatus a Blondello & Alexandro Natali: *Post hunc Leonem Joannes Anglicus Natione Moguntinus sedit annis duobus mense uno, diebus quatuor & mortuus est Romæ & cessavit Episcopatus mense uno. Hic, ut asseritur, femina fuit & in puellari ætate a quodam suo Amasio habitu virili*
Athenas

decima septima Julii, postquam S. Se-
dem tenuisset annis octo & tribus men-
sibus, sepultusque est ad S. Petrum. Dua-
bus ordinationibus, una mense Dec. &
altera

Sæculum IX.
A.C. 855.

Athenas ducta, sic in diversis scientiis profecit . . . in Papam concorditer eligitur: sed in Papatu per suum Familiarem imprægnatur. Verum tempus partus ignorans cum de S. Petro in Lateranum tenderet, angustiata inter Colisæum, & S. Clementis Ecclesiam peperit, & post mortua ibidem, ut dicitur, sepulta fuit. &c. Similia in Sigeberti Chronico leguntur, atque etiam S. Antoninus Florentinus Chronicorum tit. 16. tanquam testis adducitur, qui Martinum Polonum auctorem suum refert.

Verum ad primum testem Marianum Scotum respondet Franciscus Pagi ad annum 853. *Baronius quidem Num. LVII. & seqq. auctumavit, Marianum Scotum fuisse primum Auctorem . . . hujus commenti. Verum Leo Allatius in confutatione fabulæ de Joanna Papissa ex monumentis Græcis jam demonstravit, in sinceris Mariani Scoti codicibus hanc fabulam non fuisse exaratam, testari Scriptorem non ignobilem, qui Metropolim Alberti Krantzii notis illustravit ad lib. 2. p. 100. editionis Colonienfis anno MDLXXIV. curatæ, sed notam illam Typographos Francofordienses erasisse. Mariani Scoti Codices Manuscriptos aliquot antiquissimos, qui adhuc extant, nihil de Joanna Papissa habere, sicuti nec Codices MSS. Sigeberti*

Sæculum IX. altera mense Martio, creavit Presbyte-
A. C. 855. ros novendecim, Diaconos octodecim,
 & Episcopos per diversa loca sexaginta
 tres. Octavam Assumptionis Deiparæ
 Virginis celebrari jussit, quod Romæ
 necdum antea fiebat, & primo anno num-
 mos argenteos sparsit in populum. Præ-
 ter alias ædes memoratas etiam complu-
 ra fundavit Monasteria. Unum condidit
 Sancti-

*berti Gemblacensis Abbatis, quod præcipue con-
 stat ex Autographo Cænobii Gemblacensis, quod
 a Miræo editum est. Idem Pagius ad Marti-
 ni Poloni testimonium respondet: Sed Allatius
 loco laudato num. 5. & seqq. non solum ostendit,
 ejus Chronicon pessime corruptum fuisse . . . sed
 etiam in Bibliotheca Vaticana extare hujus Au-
 ctoris antiquissimum exemplar, in quo post
 vitam Leonis IV. nulla fit Joannæ Papiſſæ
 mentio, neque in margine eadem vel aliena ma-
 nuscripta, nec quidquam aliorum industria era-
 sum. De S. Antonino Natalis Alexander in Diss.
 ad Sæc. IX. & X. dicit: Ad quartum Testimo-
 nium quod est S. Antonini, respondeo, Sanctum
 Archipræsulem ab Interpolatore Martini Polo-
 ni deceptum, ejus duntaxat verba primo refer-
 re, deinde ea addere, quibus diserte significat,
 totam illam narrationem sibi de falsitate suspen-
 dam vehementer esse ob silentium Vincentii Bello-
 vacensis &c. Idem Natalis ibidem argumenta
 quindecim congerit, quibus istud de muliere in
 Cathedra Romana sedente commentum con-
 vellit.*

Sanctimonialibus in propria domo, illud. Sæculum IX.
A. C. 855.
que SS. Symmitrio & Casario Sacrum esse
voluit. Monasterium S. Martini, cujus
alumnus fuerat, restauravit & ornavit.
In Monasterium Corfariense, in quo tunc
Laici habitabant, feminas Religiosas in-
duxit. Cum quadam die Ecclesiam S.
Laurentii oraturus adiisset, quærenti,
quot Monachi ibi ministerio Sacro vacat-
rent, responsum, a quibusdam Anteces-
sorum suorum ibi duo fuisse extracta Mo-
nasteria, unde postea recedere urgente
paupertate compulsi fuissent. Ille unum
restituit, honori SS. Stephani & Cassiani Anast. to. 3.
Conc. p. 8.
dicavit, census sufficientes assignavit, &
Monachos Græcos, qui officia Divina
diu noctuque celebrarent, immisit. In-
ter illa decora, quæ neglecta S. Leo ite-
rum reduxit, est illud, quod Crucem
auream pro vetere Antecessorum suorum
more a Subdiacono sibi præferri præce-
perit. (*)

S. Leo-

(*) Hic Fleurius addere oblitus est, S. Leo-
nem IV. Sacris Fastis & Sanctorum numero fuisse
adscripsum. Ceterum ad fabellam feminæ post
S. Leonem IV. intrusæ illud quoque pertinet,
quod scribit Pagijs ad annum 853. *Illæ de Jo-
anna Papissa fabula ita omnium animos occupa-
rat, ut in Magnifica Ecclesia Metropolitana Ci-
vitatæ Senensis, quæ post eam excogitatam qua-
tuor*

Sæculum IX.

A. C. 855.

to. 8. Conc.

p. 33.

S. Leoni tribuuntur Documenta data Presbyteris, Libro Pontificali Romano ad finem normæ in Synodis Episcoporum tenendæ adjecta. Monentur Presbyteri, ut singulis noctibus ad preces nocturnas & cantandum horis præscriptis officium surgant. Quilibet Presbyter habeat Clericum vel Discipulum, qui Psalmos decantanti & Sacris operanti respondeat. Presbyter populum hortetur,

tuor Pontifices Romanos dedit, Pium scilicet II. Pium III. Marcellum II. & Paulum V. Statua Joannæ Papissæ inter alias ceterorum Pontificum Romanorum conspiceretur. De eadem Statua Pagius Numero sequenti Mabillonium in Museo Italico tom. I. part. 1. pag. 159. loquentem inducit in hunc modum: Quippe Statuam illam fabulosæ Joannæ, quæ post refectionem sub hæc novissima Secula Basilicam, obtinente fabula, fabricata fuerat, demum Clementis VIII. Pontificatu cooperante cum magno Duce ad Baronii preces Archiepiscopo loci Cardinale Tarugio non penitus quidem fuisse comminutam, sed mutatis formæ muliebris lineamentis, ex femina factam Zachariæ Pontificis figuram, apposito Zachariæ nomine, ne qua suspicio in posterum hac de re ob servatam Statuæ materiam suboriri posset. Infra addit Pagius: Credendumque eam Zachariæ Papæ Statuam in ea Ecclesia remansisse usque ad Alexandri VII. Pontificatum. Tandem ex eodem Mabillo-

tetur, ut in die Mercurii Cinerum confi-
 teatur, pœnitentias injungat, moneat,
 saltem quater, in Natali Domini, in Cœ-
 na Domini, in Paschate, & Pentecoste ad
 Sacram Communionem esse acceden-
 dum. Pro functionibus Ecclesiasticis ni-
 hil exigat. Reliqua documentis Hincma-
 ri admodum propinqua sunt; unde, qua-
 lis illa ætate Disciplina viguerit, dispici-
 mus. (*)

Sæculum IX.
 A. C. 855.

Sup. §. 7.

§. XXVI.

Mabillonio de sede stercorearia Pagius istud ex-
 cerpsit: *Ex quo intelligitur, Stercorariam vo-*
cabulum traxisse non forma (neque enim per-
tusa est ut aliæ duæ) sed ex versu Psalmi, qui,
Pontifice in ea sedente canebatur, & de stercore
erigit pauperem. Addit Natalis Alexander in
 memorata Differt. Quod vero de Sede perfo-
 rata ad explorandum sexum destinata ab inimi-
 cis Romanæ Ecclesiæ, vel ab imperitis vulgatum
 est, id fabulosum prorsus Platina testatur &c.

(*) Priusquam a S. Leone IV, quem inter &
 Benediētum III. Papissam sedisse fabula narratur,
 transeamus, illud quoque ex Alexandro Natali
 addendum mihi videtur: *Unde autem ortum*
habuerit hæc fabula, Viri eruditi inquirunt &
suas proponunt conjecturas. Joannes Aventi-
nus in Bojorum Annalibus lib. 4. ei fundamen-
tum dedisse censet Joannem nonum. Albertus,
inquit, Locupletissimus Etruriæ Princeps Ra-
vennam, Bononiam, Romam in potestate ha-
buit. Ejus socrus Theodora, Scortum nobile
 atque

Sæculum IX.
A. C. 855.

§. XXVI.

Benedictus III. Papa.

*Anast. in
Ben. III.*

Leone Papa fatis functo, Clerici Romani, Optimates populusque congregantur, & fuis ad Deum precibus, quo cognoscerent, quis eis Pastor a Cœlo destinaretur, una voce Benedictum Presbyterum eligunt. Is erat patria Romanus, a parente suo, nomine Petro, Sacris Litteris imbutus, postea Palatii Lateranensis alumnus, & Clericis adscriptus. Gregorius Papa IV. ipsum ordinavit Subdiaconum & Leo IV. Presbyterum, Tituli S. Callisti, quo populus turmatim accurrens nuncium attulit, quod Papa electus esset. Ipse tunc orationi vacans surrexit, cumque intellexisset, quid ageretur, rursus in genua provolutus obortis lacrimis dixit: *Obsecro, nolite me ab Ecclesia mea abstrahere!* tantum-

atque imperiosum Romæ dominabatur, Joannemque IX. Amatorem suum Bononiensibus primo, deinde Ravennatibus, postremo Romanis imposuit, Primariumque Sacerdotem creavit. Unde fabellam ortam crediderim, quæ temere vulgarit, hisce temporibus fuisse Sacerdotem Maximum feminam, quæ appellata sit *Joanna*. Ultimo Alexander conjecturas Cardinalis Bellarmini, Cardinalis Baronii, & Leonis Allatii affert.

muneris oneri ferendo non sum. Nihilominus invitum ad Palatium Lateranense ^{Sæculum IX.}
^{A.C. 855.}

cantantes Hymnos & Cantica spiritualia deducunt, de more throno imponunt Pontificio, cunctis maximam lætitiã profitentibus. Decretum deinde Electionis conscriptum, cui Clerici & Optimates subscripserunt, atque ad Imperatores Lotharium & Ludovicum a duobus Legatis Nicolao Episcopo Anagninensi & Mercurio militum Magistro delatum.

Sed ecce, in itinere obvium habuerunt Arsenium Episcopum Eugubinum, *Sap. S. 15.*

qui ambos in partes traxit permovitque, ut fidem fallerent, & a Benedicto deficientes Anastasium Presbyterum, ante menses 18. in Romana Synodo depositum in Sedem S. Petri intruderent. *Post-Schisma XI.*

quam igitur Ludovico Imperatori Decretum Electionis reddidissent, Romam reversi denunciant, propediem ad futuros Imperatoris Legatos, ejusque Litteras Benedicto tradunt. Post paucorum dierum intervallum Legati Hortam quadragesimo ab urbe lapide perveniunt, ubi ad Anastasii partes transeunt, Arsenio Episcopo auctore, qui cum Nicolao Episcopo & tribus Ducibus Mercurio, Gregorio & Christophoro obvium se venientibus intulerat. His duo alii Episcopi Radualdus Portuensis & Agatho Tuderinus juncti.

Hist. Eccles. Tom. XI.

R r

Hac

Sæculum IX.

A. C. 855.

Hac re ad Benedictum perlata, Gregorium & Majonem Episcopos cum Epistolis ad Legatos Imperatoris misit, qui instigante Anastasio contra jus Gentium victi, & custodiæ traditi. Misit nihilominus Benedictus & alios Adrianum S. Sedis Secundicerium & Gregorium Ducem; sed altera die afferuntur mandata Imperatoris Legatorum ad universum Clerum, Senatum Populumque, quibus præcipiebant, ut sibi trans pontem Milvium obviam procederent. Obtemperarunt Romani, seque ad Ecclesiam S. Leucii Martyris contulerunt, ubi Legati habentes apud se Anastasium substiterant. Inde Romam versus iter dirigentes, Adrianum, Gratianum & Theodorum S. Sedis Ministros captivos secum ducentes, Civitatem Leoninam & Basilicam S. Petri intrant, ubi Anastasius Synodi imaginem, quam Leo Papa supra januam pingi jusserat, confregit & cremavit. Haud dubie imago fuerit illius Synodi, in qua Anastasius depositus.

Is tandem Romam & Palatium Lateranense ingressus in Throno Pontificum confidet, Benedicto vi per manus Romani Episcopi Balneoregiensis ex illo Solio dejecto. Eundem vestimentis Sacris, quibus indutus erat, spoliatum, multisque injuriis & verberibus affectum Joanni & Hadriano Presbyteris a Leone
Papa

Papa depositis custodiendum tradit. Ro-
mani vero tunc consternati inter clamo-
res & ejulatus jacebant, Episcopi Pres-
byterique pectora tundentes & perfusi
lacrymis ante Altaria in genua se demit-
tebant. Hæc in Sabbato agebantur.

In Dominica Episcopi, qui Romæ ver-
sabantur, cum Clericis & populo in Ec-
clesia Æmiliana conveniunt, quo protin-
us etiam se conferunt Legati Cæsarei,
& impetu facto absidem, in qua psal-
lentes cum Clericis residebant Episcopi,
conscendunt, erectisque jaculis & gladiis
evaginatis dicunt: *Cedite, & Anasta-
sum Papam veneramini.* Illi responde-
runt: *Nunquam in depositum & anathe-
matizatum a S. Præsule, beataque Synodo,
consentimus: sed modis omnibus abjici-
mus & a Dei cætibus segregamus.* Quo-
rum constantiam Franci admirantes in
cubiculum ipsius Basilicæ secedunt, ini-
turi consilium, ibique Episcopos Ostien-
sem & Albanensem ad se intrare coactos
primum blando sermone tentant, mox
autem pœnam capitis comminantur, fu-
riose ingeminantes: *Morte contumaciam
luetis, nisi Anastasium consecratis.* Rur-
sus Episcopi: malle se mortem pati &
artibus truncari, quam depositum eli-
gere, imo Imperatoris Legatos increpa-
re cœperunt, & auctoritate Scripturæ
ostendentes, quam iniqua esset eorum

R r a

postu-

Sæculum IX.
A. C. 855.

Anastasius
Antipapa.

Sæculum IX. postulatio. Tunc ergo Franci lingua
 A. C. 855. sua Teutonica pauca collocuti mitescere
 videbantur.

Die Martis mane Episcopi in magna Ecclesia Lateranensi congregantur cum Clericis & populo clamante: *Benedictum Beatissimum Papam volumus, ipsumque desideramus.* Hinc Legati Imperatoris tanta populi concordia perterriti cum viderent, operam se perdere, Episcopos & Clericorum præcipuos in quoddam cubiculum Palatii Patriarchalis convocant; ubi fervide disputatum. Sed tandem rationum quas Romani afferebant victi Franci dixerunt: *Accipite vestrum Electum, & in quam vultis Basilicam eum deducite. Nos protinus ex hac Domo Patriarchali Anastasium, quem depositum dicitis, ejiciemus. Tres dies jejunium cum orationibus celebremus, faciemus postea, quod Deus mentibus nostris indiderit.* Tunc Episcopi exclamare: *Expellatur ex nostra præsentia invasor & depositus Anastasius!* Et ille sine mora turpiter abire compellitur toto populo Deo gratias agente.

Quare Episcopi Benedictum ex Ecclesia, ubi adhucdum sub custodibus premebatur, liberatum ad Palatium Lateranense in Basilica Salvatoris alacres deducunt, & inde in equum, quo Leo Papa defunctus vehi adsueverat, elevantes eum,

eum, triumphantium more ad S. Mariam Majorem comitantur; ubi tribus diebus & tribus noctibus in jejunio & oratione transactis, omnes qui factionem Anastasii secuti fuerant, Divino compuncti nutu ad Benedictum conveniunt, & pedes ejus osculati dicunt: *Erravimus, sed tu, optime Pater, errantes oviculas collige.* Ille omnes extensis brachiis excipiens osculabatur & consolabatur ad se redeuntes. Legati quoque Imperatoris adfuerunt, & Summo Pontifici secreto collocuti reconciliati sunt. Ergo consentientibus omnibus Episcopi Benedictum in Palatium Lateranense Hymnos decantantes maxima populi multitudine comitante reducunt, & Solio Pontificali restitunt. Tandem die Dominica, prima Sept. anno 855. in Basilicam S. Petri perductus solemniter Imperator Ludovici Legatis populoque ingenti presentibus consecratur. Sedem Sacram tenuit annis duobus & dimidio.

Sæculum IX.
A. C. 855.

v. Papebr.
cenat.

§. XXVII.

Lotharii Imperatoris Obitus.

Inter hæc Lotharius Imperator ægro-
tans desperata corporis sanitate in
Monasterium Prumiense se recepit, ubi
mundo valedicens comam sibi abscindi
& habitum Monasticum dari voluit.
Regna quæ citra alpes possidebat, divisit

Ann. Bert.
& Fuld. 855.

Rr 3

in

Sæculum IX. in duos filios tunc apud se commorantes
A. C. 856. Lotharium & Carolum, & huic quidem
 dedit Regnum Provinciæ quod usque ad
 Territorii Lugdunensis terminos exten-
 debatur, Lothario autem Regiones reli-
 quas, quæ usque ad Rheni & Mosæ ostia
 porriguntur. Ceterum Imperator Lu-
 dovico filio suo primogenito satis virium
 & potentiæ esse credidit in Regno Lon-
 gobardorum & Imperatoris Titulo. His
 igitur ita compositis, die sexta postquam
 vestem Monasticam induisset, & ab obi-
 tu parentis sui annis quindecim imperas-
 set, vigesima octava Sept. anno Salutis
 855. e vita excessit.

§. XXVIII.

Rabani Obitus.

Ann. Fuld. **R**abanus Archiepiscopus Moguntinus
 856. anno sequente 856. quarta die Fe-
 bruarii, postquam Sedem occupasset an-
 nis octo, naturæ concessit. Præter opera
 superius memorata scripsit ultimis vitæ
 suæ temporibus epistolam Canonicam ad
Baluz. post Heribalum Episcopum Antissiodorensis,
Regin. qui eum de variis casibus pœnitentiæ
 consuluerat. (*) Quanta in Rabano
 Chari-

(*) Dicit Cave, ut superius notavimus, Ra-
 banum Doctrinæ de præsentia reali Christi in
 Eucharistia fuisse adversarium. Sed audiamus hic
 Nata-

Charitas proximi fuerit, tunc liquido pa-
 tuit, cum anno octingentesimo quinquagesimo
 dira fames Germaniam pressit; quippe Sanctus
 Episcopus in quodam Vico suæ Diœcesis commorans
 omnes pauperes, unde unde advenirent, suscipiebat
 & singulis diebus plus quam trecentos pascebat,
 præter illos qui plerumque ipso inspectante
 reficiebantur. Inter centenos alios quadam die
 venit mulier usque adeo debilitata, ut cum limen
 subiret, expiraverit, priusquam ad interiora domus
 pervenire potuisset; cumque ejus infans, quem
 ulnis complectebatur, matris jam exanimatæ
 mamillam necdum dimitteret, res miseranda ex
 oculis conspiciens

Sæculum IX.
 A. C. 856.

Ann. Fuld.

Rr 4

Natalem Alexandrum in Dissertatione XI. ad
 Sæc. IX. & X. Sane Rabanum, in Epistola ad
 Egilonem, Paschasium impugnasse constat ex
 Herigero. Quid vero in Paschasii Sententia
 impugnavit Rabanus? num Realis præsentie
 Corporis Christi in Eucharistia, & Transsubstantia-
 tionis assertionem? minime, utramque enim
 asserit lib. 7. de Sacris Ord. ad Theotmar.
 cap. 10. Quis, inquit, unquam crederet, quod
 panis in carnem potuisset converti, vel vinum in
 sanguinem, nisi ipse Salvator diceret, qui pa-
 nem & vinum creavit, & omnia ex nihilo fecit?
 facilius est aliquid ex alio facere, quam omnia
 ex nihilo creare. &c. Ibidem Rabanus Maurus
 a fædo Stercoranistarum errore vindicatur, &
 hæc labes ab ipso abstergitur.

Sæculum IX.
A. C. 856.

spicientium lacrymas expressit. Vir quidam iter faciens cum uxore & infante, rabida fame in furorem actus propriam prolem ex brachiis matris raptam sua viscera devoraturus confodere parabat, recedente matre, ne spectaculum infandum aspicere cogeretur. Jamque pater ferrum infantis gutturi admovebat: cum puer a longe vidit duos lupos cervam dilaniantes. Illo itaque velocissime convolat pater & abactis lupis ad uxorem redit cervinam carnem afferens: quæ virum conspiciens maculatum sanguine pæne mortua concidit. At vir, ostendens filium salvum, abeuntem uxoris spiritum revocavit. *Itaque, ait illius temporis Annalium Scriptor, eos extrema necessitas carnem a lege vetitam comedere compulit.* Unde videmus, illo adhuc ævo credidisse Christianos se Lege Moysis teneri, & comedere carnes animalium a bestiis occisorum sibi esse prohibitum. Rabanus in Sede Moguntina Successorem habuit Carolum Pipini Regis Aquitaniæ filium, cui magis Regis Ludovici patru sui voluntas, quam Clericorum populique consensus hanc Dignitatem contulit. Is cuidam Concilio ineunte mense Octobri Moguntia anno sequente 857. celebrato præfuit.

*Exod. 22,
31. 31, 8.*

Ann. Fuld.

§. XXIX.

Sæculum IX.
A. C. 856.*Ethelulfus Rex Angliæ.*

Ethelulfum Saxoniam Occidentalem in *Ann. Bert.*
Anglia Regem anno octingentesimo
855.

quinquagesimo quinto Romam profici-
scientem magnifice excepit Rex Franciæ
Carolus Calvus, qui nobis deinceps hoc
nomine veniet, ut a Carolo juniore ne-
pote suo Rege Provinciæ discernatur. Is
Ethelulfo omnia vestimenta Regia suppe-
ditavit, & usque ad regni sui limites de-
duci iussit. Ethelulfus vero Romam
demum pervenit Benedicto Pontifice.
Obtulit S. Petro coronam auream qua-
tuor librarum, & complura alia dona
pretiosa, in Clericos quoque & in popu-
lum publice munificus. Redeunti ex Ita-
lia, cum in Francia moraretur, ei Judi-
tha Regis Caroli Calvi filia in matrimo-
nium data est. Sponsalia mense Julio, *Ann. Bert.*
& nuptiæ die prima Octobris Vermeriæ
celebratæ. Juditha, etsi antea Angli
hunc morem nescirent, coronata est Re-
gina, Archiepiscopo Hincmaro solemnes *Hincm. to. I.*
ritus peragente; nam preces, quas tunc *p. 750.*
pronunciavit, hodieque supersunt. Rex

Ethelulfus in Angliam reversus Winto-
niæ in Ecclesia S. Petri Concilium cele-
brari voluit, ubi duo Archiepiscopi Can-
tuariensis & Eboracensis, Episcopi Angliæ
omnes, magnus Abbatum numerus, Bor-

R r §

redus

Sæculum IX. redus Rex Merciorum, & Edmundus Rex
A. C. 856. Angliæ Orientalis cum multis Proceribus
 adfuerunt. In eo Concilio constitutum, ut
 omnium fundorum decimam partem pos-
 sideret Ecclesia, ab omni exactione libe-
 ra, quo refarcirentur damna facta rapi-
 nis Normannorum, qui tam in Anglia
 quam in Francia impune latrocinaban-
 tur. Rex Ethelulfus anno octingentesi-
 mo quinquagesimo septimo decedens
 condito testamento Ecclesiæ Romanæ
 censum annum trecentarum marcarum
 auri, nempe centum S. Petro, centum
 S. Paulo, & centum ad nutum Papæ di-
 stribuendas reliquit. Sedem vero Win-
 toniensem tunc obtinebat S. Suithunus,
 ejusdem Regis olim Præceptor, eique
 aliquot annis superstes. Ecclesia ejus
 memoriam secunda die Julii colit.

Vill. Malme
p. 41.

Att. SS.
Ben. to. 6.
p. 69. Mart.
R. 2. Jul.

§. XXX.

Normannorum Latrocinia.

Ann. Bert. In Francia Normanni adverso Ligeri
 856. advecti, anno 856. decima octava
 Aprilis Aurelianum intrant, diripiunt, &
 nemine obistente recedunt. Aliæ ejus-
 dem gentis cohortes Sequanam ingressi
 mense Augusto ejusdem anni urbes in
 utraque ripa positas atque etiam remo-
 tiora Monasteria vicosque devastant.
 Tum locum, qui dicebatur *Gibaldi fossa*,
 castris deligunt, iisque communitis hye-
 mem

mem tranquille exigunt, nisi quod vige-
 sima octava Decembris Parisios invase-
 rint, Ecclesiam S. Genovefæ ceterasque
 omnes incenderint, sequentibus tantum
 exceptis, Ecclesia S. Stephani, quæ erat
 Cathedralis, S. Germani de pratis & S.
 Dionysii, cujus Abbatem Ludovicum re-
 cedentes abstraxere. Hæ videlicet Ec-
 clesiæ maxima data pecuniæ vi redem-
 ptæ. Interea Normanni alii, qui in par-
 tibus inferioribus Ligeris grassabantur,
 Territorium Turonense vicinosque vi-
 cos usque ad civitatem Blesensem depo-
 pulantur. Cum in urbem Carnutensem
 irrumperent, Frobaldus Episcopus pedi-
 bus fugam capeffens, dum Eburam am-
 nem nando trajicere conatur, fluctibus
 haustus perit.

§. XXXI.

Capitularia Carisiaci edita.

Regis Caroli Calvi auctoritas apud ple-
 rosque viluerat; nam Pipinus ipsius
 Nepos, tandem e monasterio Sueffionensi
 ad S. Medardum egressus, Rex Aquitaniæ
 proclamatus inita cum Normannis socie-
 tate, Pictavium pluresque alias Civitates
 igni ferroque vastaverat, Comitibus ve-
 ro ceterisque Optimatibus jura Regum
 sibi vindicantibus Francia cædibus & la-
 trociniis replebatur. His malis ut me-
 deretur Carolus Episcopus & Proceres,
 quibus in eum fides durabat, vigesima
 quin-

Sæculum IX.

A. C. 857.

id. 857.

Chro. Norm.

Duch. to. 2.

p. 525.

Bertin. 856.

857. Capit.

tit. 19. 20.

21. 22.

Sæculum IX. quinta Februarii anno 857. Carisiacum
 A. C. 857. convocat. Ibi statutum, ut Episcopi in
 suis Diœcesibus, Comites & Legati Prin-
 cipum in suis regionibus conventus age-
 rent, in quibus Episcopus Diœcesanus ex
 Auctoritate Scripturæ & Canonum de-

to. 8. Conc.
 p. 246. Ca-
 pit. tit. 23.
 p. 87.

monstraret, quam enormè peccatum ef-
 fet rapere & vi auferre rem alterius, &
 quam gravi pœnitentia dignum. Regis
 quoque Legatis præcipiebatur, ut Leges
 & Capitularia recitarent, quibus eadem
 crimina prohibebantur, iisque qui talia
 perpetrarent, pœnas tam Spirituales
 quam temporales comminarentur. Id
 dispicimus ex Epistola nomine Regis
 scripta & ad omnes Episcopos Lega-
 tos Comitesque cum collectione Tex-
 tum ex Scriptura & Patribus dire-
 cta. Addita fuit alia quoque Colle-
 ctio Capitularium Caroli Magni & Lu-
 dovici pii. At fortiore remedio quam
 exhortatione & comminatione indige-
 bant illa tempora ad comprimendos
 Optimates armis se tuentes; hinc etiam
 intempestiva lenitate nihil effectum, sed
 pejora prioribus evenerunt.

Exemplum hujusmodi Exhortatio-
 num quibus Episcopi temporum illorum
 insolentiam compefcere conabantur, esse
 putant quamdam epistolam Lupi Ferr-
 riensis, verisimiliter nomine Archiepisco-
 pi Senonensis scriptam. Ex pluribus
 vero

Lup. Ferr.
 sp. 100.

vero aliis hujus Abbatis epistolis quanta fuerit calamitas cognosci potest. Quemdam amicorum ad se venturum sollicitè monet, ut viam tutissimam eligat, *in regno enim Regis nostri Caroli, inquit, viæ publicæ a latronibus infestantur, cum rebus novandis multi Principes intenti sint. Nihil frequentius quam rapinas impune perpetratas, vimque innocentibus illatam, audias. Ergo simul proficiscentium societas tibi quærenda est, quorum numerum & fortitudinem improbi pertimescentes arceantur, aut si invadere vos ausi fuerint, repellantur.*

§. XXXII.

Epistolæ Lupi Ferrariensis.

Sub idem tempus Lupus Ferrariensis epistolam ad Benedictum Papam dedit deferentibus duobus Monachis suis, propria voluntate ad SS. Apostolorum limina pergentibus. Litteras generales commendatitias ad omnes Episcopos Italiæ & Galliæ & ad omnes Fideles directas non solum a Lupo Abbate suo, sed etiam a Venilone Archiepiscopo Senonensi Episcopo suo Diocæsano acceperant, in quibus explicite dicebatur, ipsos utriusque licentia esse munitos. In Epistola ad Papam dicit Lupus, se quondam Leone Antecessore ipsius Petri Cathedralis occupante Romam missum. Ejus Bene-

Sæculum IX.
A. C. 857.

ep. 140.

Lup. ep. 101.
102.

ep. 103. v. ep.
66. 67. 68.

Sæculum IX. Benevolentia commendat ambos Monachos peregrinantes, rogatque, ut Romanæ Ecclesiæ Ritus & consuetudines edoceantur, unde ipse deinde haberet Regulam certam, quam variis diversorum locorum ritibus posset objicere. Item Papam rogat, ut sibi opera illorum Monachorum mittat quosdam libros quos desiderabat, & in Francia invenire non poterat, videlicet, Commentarios S. Hieronymi in Jeremiam a Libro sexto usque ad finem, Ciceronem de Oratore, duodecim Libros Institutionum Quintiliani, & Commentarium Donati in Terentium. Promittit, curæ sibi fore, ut cito describerentur, quos deinde bona fide esset remissurus. In alia epistola quemdam amicum rogat, ut sibi bella Catilinæ & Jugurthæ Sallustii, & Orationes in Verrem Ciceronis afferat. Nempe eruditorum Abbatum studium & Monachorum ipsorum labor optimos Antiquitatis tam Ecclesiasticæ quam profanæ libros nobis conservarunt.

ep. 140. v. ep.
69.

§. XXXIII.

Tractatus Hincmari de Prædestinatione.

Flod. l. 1. c. 15. *Maug. diff. c. 38. 39.* *Hincm. præf. 1.* Eodem circiter tempore videlicet anno 857. Hincmarus primum suum opus de Prædestinatione scripsit. Concilio Valentino soluto Remigius Archiepiscopus

pus Lugdunensis ad Lotharium Impera-^{Sæculum IX.}
torem Dominum suum detulit hujus A. C. 857.
Concilii Canones cum novendecim Ar-
ticolis Joannis Scoti in eo damnatis, &
duo Scripta Ecclesiæ Lugdunensis de tri-
bus litteris & veritate Scripturæ, ut hæc
omnia Lotharius mitteret Fratri suo Ca-
rolo, in cujus Regno Hincmarus & ce-
teri, quorum opiniones Ecclesia Lugdu-
nensis oppugnabat, existebant. Lotha-
rius Imperator haud diu post mortem
oppetiit, postquam Ebboni Episcopo Gra-
tianopolitano præcepisset, ut hæc Scri-
pta ad Fratrem suum Carolum deferret.
Ebbo has Litteras Vermeriæ Carolo Re-
gi reddidit, qui cum in Arce, vulgo *Neau-
fle*, in potestate Archiepiscopi Rotoma-
gensis, ut arma Normannis opponeret,
versaretur mense Septembri anno 856.
eas Hincmaro tradidit, quibus post ma-
tuum examen responderet. Itaque edi-
to amplo Tractatu de Prædestinatione in
tres libros diviso respondit; sed nihil
præter hujus Operis præfationem, quam
Flodoardi industriæ debemus, ad nostra
usque tempora pervenit. Hincmarus
fatetur, in Concilio Valentino Articulos
quatuor Carisiacenses fuisse damnatos,
sed conqueritur, quod in decreto Conci-
lii non fuerint relati, & ipse inauditus
damnatus. Dixit, nunquam ad notitiam
suam pervenisse novendecim articulos
Joan-

Joan-

Sæculum IX.
A. C. 857.

Joannis Scoti, imo hujus Scripti Auctorem non potuisse a se explorari; cum tamen constet, ab ipsomet & a Pardulo Joannem Scotum ad scribendum fuisse excitatum. Tandem fingit se credere non posse, hoc Decretum revera a Patribus Concilii Valentini esse profectum, dicitque, cum nesciat, quibuscum sibi res sit, se Responsum dirigere ad Regem Carolum, a quo has Litteras accepisset. Ex hoc factò Hincmari plus dissimulatio quam bona Fides elucet.

§. XXXIV.

Documenta Hincmari ad suos Presbyteros.

to. 8. Conc. p. 585.
Hincm. to. I. p. 730. Porro Hincmarus anno Pontificatus sui duodecimo, ab Incarnatione octingentesimo quinquagesimo septimo, die decima Junii documentis antea editis, ad Presbyteros suæ Diœcesis informandos, tres Articulos addidit. Primus, & majoris momenti, ad pœnitentiam publicam pertinet. *Quamprimum parricidium vel aliud crimen publicum perpetratum fuerit, Parochus reum moneat, ut Decano aliisque Parochis se sistat & pœnitentiæ se submittat. Ipsi vero Præpositis suis in Civitate hac de re rationem reddant. Ita peccator intra quatuordecim dies ad nos venire poterit & pœnitentiam publicam cum impositione manuum accipere.*

pere. *Dies, in qua commissum peccatum, & qua injuncta fuerit pœnitentia, diligenter adnotentur. Tum Parochi in Calendis convenientes consilia de statu suorum pœnitentium conferant, & nobis indicent, qua ratione quilibet suam pœnitentiam peragat, unde nos decernamus, quando reconciliandus sit. Si reus intra quatuordecim dies pœnitentiæ se non submittat, excommunicetur, (*) donec hoc leve Ecclesiæ jugum subeat. Parochus, qui sciens patratum crimen illud ad nos non detulerit, ab officio suo suspensus in pane & aqua tot dies jejunet, quot peccatum indicare distulerit, & si peccator a nemine admonitus moriatur, deponatur Parochus. Solicite vero caveant Presbyteri, ne unquam pœnitenti in articulo mortis Viaticum devote petenti denegent, ea conditione, ut pœnitentiam compleat, si convalescat. Pro exequiis Parochi nihil accipiant, & nemo jus hæreditarium sepulturæ sibi arroget, sed in arbitrio Parochi positum sit. Missa nunquam nisi in Altari consecrato, aut saltem in lapide benedicto celebretur.*

Sæculum IX,
A. C. 857.

§. XXXV.

(*) Etsi peccatores ad subeundam Pœnitentiam publicam cogi non solerent, non nunquam tamen Pœnæ spirituales in eos decernebantur.

Hist. Eccles. Tom. XI.

S s

Sæculum IX.

A. C. 857.

§. XXXV.

*Martyres Cordubenses.**Eulog. II.*
memor. c. 21.

c. 13.

Sup. lib.
XLVII.
§. 54.*vid. Not.*
Ambr. c. 14.

Cordubæ persecutionis necdum finis. Quemdam Presbyterum, nomine Abundium, in monte vicino Parochum, Saraceni primum per fraudem ad Martyrium pertraxerunt; ille autem deinde a Judice interrogatus Fidem intrepide confessus est, etiamque in Mahometem & ejus Sectatores convicia adjecit, ideoque statim peremptus, & canibus bestiisque devorandus expositus, undecima Julii, Æra 892. anno Salutis 854. Trigesima Aprilis anno sequente tres Martyres simul coronati; nempe Amator Presbyter juvenis, qui scientias addiscendi causa Cordubam venerat, Petrus Monachus, & Ludovicus germanus Pauli Diaconi, anno 851. Martyrium passi. Hi tres pio foedere juncti, cum Evangelium prædicant, celeriter necantur. Corpora in flumen projecta, duoque iterum inventa, videlicet Petri, quod in Cænobio Pinnæ Mellariensis sepultum, & Ludovici, quod in vico Italicæ Provinciæ in Andalusia, Palma nomine, terræ mandatum. Ea etiam tempestate Vitesinus vir annis plenus, olim a fide apostata, cum eum ad Religionem Mahometis publice profitendum vellent compellere, & fortiter recusasset, sine mora Martyrio afficitur. Anno

Anno sequente 856. Æra 894. Elias ^{Sæculum IX.}
 Presbyter ex Lusitania, ætate senili, cum A.C. 857.
 duobus Monachis Paulo & Isidoro robu-
 sta juventute florentibus, decima septima
 Aprilis passus est, & vigesima octava Ju-
 nii Argymirus Monachus senex, qui olim
 Cordubæ Censor a Rege creatus, & rur-
 sus ab hac administratione amotus in
 quoddam Monasterium se receperat. Ad
 Judicem deinde delatus, quod in Pro-
 phetam verbis acerbe lusisset arcto car-
 ceri datur, & jubente Judice, postquam
 eum pervertere frustra conatus fuisset,
 vivus equuleo imponitur & gladio tra-
 jicitur. Sepultus est in Ecclesia S. Ascii-
 scoli juxta S. Perfectum.

Aurea Adolphi & Joannis, qui sub
 initium Regni Abderami Martyrii Lau-
 ream consecuti sunt, Soror, femina Re-
 ligiosa per annos triginta in Cænobio
 Cateclariensi degebat. Eam præclaro
 stemmate inter Arabes in Provincia Hi-
 spalensi natam, quidam propinqui, ru-
 moris, quem de ipsa perceperant, verita-
 tem exploraturi inviserunt, cum vero
 eam non Christianam modo, sed etiam
 Monialem conspexissent, rem hanc ad
 Cadi, seu Judicem, & ipsum Auræ con-
 sanguineum deferunt. Ille ad se acci-
 tam lenibus verbis affatus insinuat, quan-
 to probro nobilis familiæ avitam Religio-
 nem abjecisset. Tandem minas adjecit

Sæculum IX. atroces; eam ultima & turpissimam ne-
A. C. 857. cem esse passuram, nisi Christo nuncium
mitteret. Illa tunc quidem cessit, &
pollicita est, se facturam, quod Judex vel-
let. Ergo libera dimittitur. At domum
regressa Religionem Christianam sicut
antea profitebatur, gemitibus lacrymis-
que scandalum a se datum delere co-
nata. Hinc Ecclesias publice adeuntem
Infideles coram Judice accusant, cui ipsa;
nunquam se a Christo suo fuisse separa-
tam, & nunquam vel ad momentum im-
piæ sectæ adhæsisse, quamvis id utcun-
que victa promisisset. Judex immanis-
simus his verbis accensus catenis liga-
tam carceri tradit; tum acceptis a Re-
ge mandatis altera die gladio trucidat.
Corpus in flumen projectum, cum age-
retur annus Incarnationis Dominicæ
octingentesimus quinquagesimus sextus
& dies Julii decima nona. Ecclesia au-
tem hos Martyres in diebus illis, quibus
passi sunt, honorat.

§. XXXVI.

S. Eulogii Apologeticus Martyrum.

Apolog. init. **E**ulogius Presbyter, qui Martyrum isto-
rum passionem suo calamo ad nos
transmisit, eorum quoque defensionem
edito libro apologetico in se suscepit
contra quosdam Christianos objicientes,
ipsis non tantam reverentiam, ut anti-
quis

quis Martyribus, exhiberi posse. Quip- Sæculum IX.
 pe dicebant: *Non patrant miracula sicut* A. C. 857.
veteres Martyres, non patiuntur multi-
plicia tormentorum genera, qui eos occi-
dunt, non sunt Idololatræ, sed Musulman-
ni, qui eundem Deum nobiscum confiten-
tur, & Idololatriam abominantur. Eu- Memor. l. I.
 logius ad hæc tria facile respondet, & p. 350.
si spectentur miracula, non sunt, inquit, Apol. p. 450.
necessaria in omni tempore, sicut in exor-
diis nascentis Ecclesiæ fuerunt, nec sunt
Sanctitatis infallibilis nota. Tormento-
rum varietas non requiritur ad Marty-
rium, sed mors & perseverantia usque in
finem, nec attenditur tormentorum diu-
turnitas, sed victoria. Quamquam Ma-
bomet Idololatriam non docuerit, nibilo-
minus horrendum est cunctis Christianis
nomen, tanquam Pseudoprophetæ, & illis
accensendi impostoribus, quos Apostoli ven-
turos prædixerunt. Sufficiat Christiano
ad eum detestandum, quod Jesu Christo
Divinitatem, quoad potuit, rapuerit.

Ceterum hic notat Eulogius, Chri- p. 435.
 stianos se signo S. Crucis munire & Dei
 auxilium invocare solitos fuisse, quando-
 cunque *Moëfins*, id est, Musulmannorum
 præcones e culmine turris, quæ ipsorum vid. Bibl.
 templis jungebatur, populum convocan- Orient. p.
 tes audirent. 576.

Sed & aliud his Martyribus Hispaniæ
 objiciebatur; quod propria voluntate

Sæculum IX. sese Martyrio offerrent, quod malum per-
A. C. 857. secutionis in Fratres suos suscitarent,
 cumque Musulmanni eis liberum Reli-
 gionis Christianæ exercitium permitte-
 rent, æquum non esse, ut in Mahometem
 palam contumelias jacerent. Quæ ad
 hæc argumenta Eulogius respondet in-
 firma sunt; sed illud magis memora-
 tu dignum, quod nobis in hoc loco tri-
 stem sortem Christianorum sub Musul-
 mannorum jugo viventium exhibeat.

Memor. I. *Nemo nostrum, inquit, inter Mahometana-*
p. 354. *nos ab injuria tutus est. Quotiescunque*
negotia in publicum prodire nos cogunt,
ubi ordinis nostri (id est, Status Eccle-
siaſtici) notas conspiciunt, nos inconditis
clamoribus tanquam homines fatuos pro-
sequuntur; pueris vero satis non est,
transeuntes sannis & conviciis excipere,
sed coniectis quoque lapidibus insectantur.
Ubi campanas nostras insonantes audiunt,
mille blasphemias in Sanctam nostram Re-
ligionem evomunt. Inde discimus, illa
ætate Christianis per Musulmannos per-
missum fuisse campanas habere & pulsa-
re, quod posteriore tempore ipsis dene-
gatum. Tum subdit Eulogius: Permul-
ti ex hac Secta nos ipsis ne quidem propius
admoveri patiuntur, & immundos se cre-
derent, si Christianus ipsorum vestimenta
aliquatenus contigisset.

Apologia
 Martyrum
 Corduben-
 sium.

Quid-

Quidquid autem Eulogius dicat, ne-^{Sæculum IX.}
 gari non potest, Martyrum Corduben-^{A. C. 857.}
 sium pium quidem sed intempestivum
 impetum antiquæ Disciplinæ adversari.
 Ecclesia Smirnenfis in actis Martyrii S. Po-^{ep. c. 4. edit.}
 lycarpi sic loquitur: *Illos non laudamus,* ^{Cotel.}
qui se ipsos suo arbitrio tyrannis offerunt, ^{Sup. lib. III.}
quia Evangelium id non docet. S. Cy-^{§. 28.}
 prianus stans coram Proconsule dicebat: *At. S. Cypr.*
Disciplina Ecclesiæ nostræ prohibet, ne
quis se ipsum necandum obtrudat. Et in
 ultima sua epistola ad Fideles monebat: *Sup. l. VII.*
Nemo se ipsum Infidelibus temere offerat; ^{§. 36. 40.}
sufficit si constanter fidem confiteatur, post-
quam fuerit interrogatus. Synodus Eli-^{c. 60. Sup.}
 beritana illum Martyrum numero adscri-^{l. IX. §. 14.}
 bi vetat, qui Idola confringens protinus
 necatus fuerit. Nihilominus Ecclesiæ au-
 ctoritas omnes hos Martyres Corduben-
 ses & Eulogium ipsorum Defensorem in
 numerum Sanctorum recipientis judi-
 cium nostrum suspendat, dicamusque
 cum S. Augustino in simili casu, Ecclesiæ ^{I. civit. 26.}
 procul dubio causas fuisse gravissimas,
 cur hos Martyres a dictis regulis exe-
 merit.

S. Eulogius hanc quæstionem pertra-
 ctat in duobus operibus, quorum uni Ti-
 tulus est: *Memorialis Martyrum*, divi-
 sum in tres libros. In primo vix aliud
 quidquam occurrit; quam Apologia
 Martyrum. In duobus sequentibus eo-
 rum

Sæculum IX. rum Historia continetur. Alteri Operi
A. C. 857. Titulus est: *Apologeticus*, & in fine nihilominus refertur Historia duorum Martyrum, qui postquam hoc opus scribere incepisset, passi sunt.

§. XXXVII.

Alii Martyres.

Illorum Martyrum primus est Rudericus Presbyter, progenitus in quodam Vico Egabrensi, Sacris litteris Cordubæ imbutus, & ad gradum Sacerdotalem promotus. Erant ei duo fratres, quorum cum alter ad impietatem Musulmannorum defecisset, frequentissime cum tertio, qui in Religione Christiana perseverabat, rixabatur. Quadam nocte furiose jurgantes quærebat Rudericus suo hortatu reconciliare, verum ecce, illi cæca indignatione accensi in fratrem irruunt, & crudelem in modum verberibus affectum relinquunt pæne exanimem. Rudericus ut membra confracta reficeret, lectulo se imposuit; at frater Musulmannus languentem in feretrum attolli jubet, & per vicinam regionem circumferri. Comitabatur ipse dicens: *En fratrem meum, qui Dei gratia compunctus veritatem agnovit, & quamvis esset Christianorum Presbyter nostram Religionem amplexus est. Itaque, sicut cernitis, jam in ultimis agens noluit prius e mundo discedere,*

cedere, quam notum id vobis fiet. Post Sæculum IX.
 non nullos vero dies Rudericus Presby- A. C. 857.
 ter receptis viribus, cum alii retulissent,
 quid frater ejus Apostata fecisset, ex ejus
 domo ruri posita in alium locum se con-
 tulit. Porro Persecutio tunc Cordubæ
 erat adeo violenta, ut quarumdam Ec-
 clesiarum turres, ex quibus campanæ pen-
 debant, a Mahometanis solo æquatae fue-
 rint. Igitur dum Rudericus ob rei fa-
 miliaris necessitatem ex interiore mon-
 te Cordubensi, ubi latebat, ad nundinas
 descendisset, occurrens ei frater Apo-
 stata comprehendit fratrem Presbyte-
 rum, & ad Judicem raptat, accusans,
 quod a Religione Mahometis defecisset.
 Ille respondit; nunquam se Sectæ Maho-
 metanæ nomen dedisse, & non solum
 Christianum, sed etiam Sacerdotem esse.
 Judex blanditiis frustra tentatum in er-
 gastulum compingi jubet.

Rudericus in illo carcere invenit
 quemdam nomine Salomonem, qui, ali-
 quando in Apostasiam lapsus, iterum ad
 sinum Ecclesiæ redierat. Hi duo brevi
 arctissimo amicitiae nexu juncti in jeju-
 niis & orationibus sese ad palmam Mar-
 tyrii comparabant; quod ubi Judici re-
 latum, eos in diversa abstrahi jussit, pro-
 hibuitque ne cuiquam hominum eis col-
 loqui liceret. Tandem postquam ter ad
 se vocatos a sententia dimovere non po-
 tuisset,

Sæculum IX. tuisset, in Fide constantes capitis dam-
 A. C. 858. navit. Ducuntur ergo, in ripa fluvii
 plectendi, signo Crucis ad ultimam lu-
 ctam se muniunt, & prior Rudericus per-
 cutitur. Amborum corpora exposita, &
 deinde sicut ceterorum Martyrum in flu-
 vium projecta. Eulogius Presbyter co-
 rum beatam mortem a rumore publico
 edoctus, Missa celebrata, ad spectanda
 Martyrum corpora exiit, viditque quos-
 dam Infideles, e flumine lapillos, qui
 Martyrum sanguine aspersi erant, fume-
 re, & eos aqua abluentes in flumen rur-
 sus projicere, ne a Christianis tanquam
 Reliquiæ conservarentur. Passi sunt au-
 tem 13. Martii, Æra 895. anno Salutis
 857. qua die etiam ipsorum memoria ab
 Ecclesia colitur. Corpus S. Ruderici
 post spatium trium Septimanarum inven-
 tum & ab Episcopo Cordubensi in Mo-
 nasterio S. Genesii in Vico, qui *Tertios*
 dicebatur, conditum, at corpus S. Sa-
 lomonis in Vico *Colubris* in Ecclesia SS.
 Cosmæ & Damiani sepulturæ datum.

Martyr. R.
13. Mart.

§. XXXVIII.

Benedicti Obitus. Nicolaus I. Papa.

Anast. in
Ben. Papebr.

Cum Benedictus III. Papa non plus duo-
 bus annis & dimidio in Cathedra Pe-
 tri sedisset, obiit decima Martii anno 858.
 Una Ordinatione mense Decembri crea-
 vit Presbyteros quinque, Diaconum
 unum,

unum, & Episcopos per diversa loca sexa- Sæculum IX,
A. C. 858.
ginta sex. (*) Episcoporum, Presbyte-
rorum & Diaconorum Exequiis interesse
solebat, constituitque, ut sui etiam Suc-
cessores defunctis eundem honorem ex-
hiberent. Quinque non plus diebus S.
Sedes vacavit, electusque est Nico-
laus I. Theodori civis Romani filius.
Eum Sergius Papa e domo paterna evo-
catum, & in Palatium Patriarchale rece-
ptum Subdiaconum, Leo IV. autem Dia-
conum ordinavit, quem deinde Benedi-
ctus tam carum habuit, ut pæne ad Re-
giminis consortium adlectum a latere
suo divelli non pateretur. Benedictum
defunctum Nicolaus cum ceteris Diaco-
nis humeris suis ad sepulchrum detulit.
Ludovicus Augustus, qui brevi ante ex
urbe discesserat, comperta Benedicti Papæ
morte celeriter rediit. Moxque Clerici,
Optimates totusque populus ad eligen-
dum alium Pontificem congregatus, cum
per aliquot horas deliberassent, unanimi
consensu statuunt promovere Nicolaum
Diaconum, eumque in Ecclesia S. Petri
latentem (quippe se tanto fastigio indi-
gnum dicebat) quæsitum accurrunt. Ad-
hibita vi inde producit, inter cuncto-
rum plausus in Palatium Lateranense in-
vehitur, Apostolico Throno imponitur,
dein-

(*) Alii dicunt, viginti.

circiter decem vacasset, Archiepiscopum Sæculum IX.
 Colonensem ordinatum Ansharius ro- A. C. 858.
 gasset, ut in hanc conjunctionem con-
 sentiret, & ille summopere repugnaret,
 causa in Comitibus Wormatiæ anno octin-
 gentesimo quinquagesimo septimo in
 Quadragesima, duobus Regibus Ludo-
 vico & Nepote ipsius Lothario cum
 compluribus, utriusque Regni Episcopis *Ann. Fuld.*
 præsentibus proposita est. Omnibus
 conjunctio probabatur, rogabantque
 Guntherium, ut eam ratam haberet.
 Ipse primum vehementer obsistere, quod
 diceret, legibus æquitatis adversari, si in
 Metropolim erigeretur Ecclesia sibi sub-
 jecta læso Ecclesiæ suæ Metropolitanæ ju-
 re. Ad ultimum vero a Regibus & cun-
 ctis Episcopis rogatus edixit; si Papa
 hanc conjunctionem approbaret, se quo-
 que suo consensu accessurum. Quam
 conditionem omnes ejus Suffraganei ac-
 ceperunt. Lotharii vero Regis consen-
 sus ideo requirebatur, quod Civitas Co-
 loniensis in ejus Regno esset posita.

Rex Ludovicus percepto Guntherii
 Archiepiscopi responso Romam misit Sa-
 lomonem Episcopum Constantiensem, &
 S. Ansharius, quia ipse proficisci non
 poterat, Nordfridum Presbyterum Disci-
 pulum suum. Benignissime excepti sunt
 a Nicolao Papa, qui hanc conjunctio-
 nem Dicecesium Ecclesiæ Catholicæ &
 con-

n. 39.

Sæculum IX. conversioni Gentilium esse utilissimam
A. C. 858. judicans, datis literis eam confirmavit.
 In iis rem altius repetens dicit, Anscharium primum Archiepiscopum Nordalbingorum constitutum, & Sedem ejus Auctoritate Gregorii IV. Papæ Hamburgi fixam. Quod Papa ratum habens eundem Legatum suum ad Evangelium prædicandum Suecis, Danis, Sclavis, aliisque populis vicinis missum declarat. Refert deinde causam, ob quam Rex Ludovicus Hamburgensi Episcopatum Bremensem unire voluerit; quod factum iterum confirmat, & jubet, ut imposteriorum ex duabus Dioccesibus una fiat, prohibens, ne deinceps Archiepiscopus Coloniensis quidquam juris in eam sibi expeteret. Itaque accedente Summi Pontificis Auctoritate junctæ sunt duæ Ecclesiæ; quia vero Hamburgum a Normannis fuerat devastatum, Anscharius ejusque Successores ut plurimum Bremæ residebant, seque non nunquam Episcopos Bremenses dicebant.

Mabil. ob. 9.
to. 6. p. 77.

§. XL.

*Episcoporum Franciæ Epistolæ ad
 Ludovicum Regem.*

Ann. Fuld.
Bert. 858.

Eodem anno octingentesimo quinquagesimo octavo Rex Ludovicus superato Rheno Franciam cum exercitu intravit, invitantibus permultis Optimatibus

tibus, Caroli Calvi regnum perosis, ea maxime de causa, quod se contra Nor-
mannorum rapinas non defenderet. Venilone Archiepiscopo Senonensi præter quosdam alios ad partes Ludovici trans-
eunte, Hincmarus tamen & plerique Episcopi Carolo fidem servarunt. Cum igitur Ludovicus ad Episcopos mandata misisset, quibus vigesima quinta Novembris Remos convenire jubebantur, ubi de Statu Ecclesiæ & Reipublicæ reparando ageretur, satis fore omnibus visum, si Carisiaci Conventum agerent, & amplissimam Epistolam per Venilonem Archiepiscopum Rotomagensem & Erancranum Episcopum Catalaunensem ad eum mitterent. Scripta est nomine omnium Episcoporum Provinciarum Remensis & Rotomagensis atque in Articulos quindecim divisa.

Primo excusant, cur Remos non venerint; impeditos se fuisse fœda tempestate & brevitate temporis, quo Archiepiscopos suos consulere, ut Canones præcipiunt, non potuissent. Deinde queruntur, quod Rex Ludovicus eorum monitis & consiliis hæctenus non obtemperaverit, & Regi Carolo fratri suo reconciliari noluerit. Subjungunt, nullam superesse spem, ipsum consiliorum, quæ ab Episcopis peteret, nunc majorem rationem habiturum. Hortantur, ut conscientiam

Sæculum IX.
A.C 858.

to. 8. Conc. p.
654. to. 2.
Capit. 101.
Hincm. to. 2.
p. 126.

6. 1.

6. 2. 3.

Epistola
Hincmari
ad Ludovicum
Regem

Sæculum IX. scientiam suam scrutetur, & consideret,
 A. C. 858. cur in Regnum Fratris sui venerit; an
 talia a Fratре sustinere ipse vellet, qua-
 lia facit. *Ante mentis tuæ oculos pone,*
inquiunt, illam horam, quam nullo modo
potes effugere, quando e corpore exhibit
anima tua, quando omnem potestatem &
divitias derelinquere, & cuncta, quæ co-
gitaverat, infecta dimittere cogetur, sine
auxilio uxoris, liberorum, procerum, ser-
vorum, nuda & a toto mundo destituta,
quando videbit omnia peccata, quæcunque
cogitaverit, dixerit & fecerit contra
charitatem, eaque per pænitentiam non
emendaverit. Hæc animæ tuæ oculis
semper obversabuntur, nec depellere vale-
bit. Tum quibusdam interjectis:

c. 5. *Fama ad nos perlatum, quod in Pa-*
rochiis, per quas cum militibus transis,
tam crudelia & abominanda fiant, ut ea
Gentilium furorem longe superent; imo
eorum partem sentimus. Tu vero dicis
ad reducendam pacem & tollendos abusus
te adesse. Cur non potius conceptam

c. 6. *iram in paganorum capita effundis? in*
hos edac militem tuum, libera nos a
tributo, quod pendimus, aut saltem bar-
barorum furorem fugientibus tutum con-
cede refugium, & probibe, quod hæte-
nus factum nefas, ne pejus ab amicis

c. 7.
 Epistola E-
 piscoporum
 ad Regem.

quam ab hostibus Christiani nominis tor-
queamur. Si ideo venisti, quod Epistola
tua

tua præfert, ut Ecclesiæ jura restituas, Sæculum IX.
 conserva ejus privilegia, Episcopos bono- A. C. 858.
 ra, noli eos intempestiva cupiditate ve-
 xare, permitte, ut in pace munere suo
 fungantur, præcipe Comitibus, ut homi-
 nes incestuosos ad eos per suos ministros
 deduci jubeant, & sic ad subeundam pœ-
 nitentiam compellant. (*) Concilia Pro-
 vincialia temporibus per Canones præsti-
 tutis celebrari permitte. Bona Eccle-
 siarum & Vasallorum earum defende;
 ex quo enim divitiæ & opes Ecclesiarum
 multiplicatæ sunt, optimum factu visum
 Episcopis, si fundos hominibus liberis com-
 mitterent, quo Regni militiam auferent,
 & Ecclesiis pararent præsidium. Hic
 Originem Feudorum ab Ecclesiis conces-
 sorum deprehendimus.

Tum Episcopi exemplum referunt *v. Bar. an.*
 Caroli Martelli, qui cum primus Bona *741. n. 24.*
 Ecclesiæ rapuisset, cum corpore & ani- *Sirm. hic*
 ma ad ignem inferni damnatus fuisset. *Mabil. obs.*
 Nempe istud in visione S. Eucherio Au- *4. ad vit. S.*
 relianensi revelatum ferebatur; sed jam *Euch. to. 3.*
 fabulam esse omnes consentiunt. *Act. p. 595.*

In

(*) Hic videmus, quomodo paulatim usus
 pœnitentiæ publicæ cessaverit. Nempe, Pecca-
 torum reluctatione & Judicium Sæcularium ne-
 gligentia hoc vulnus antiquæ Disciplinae infli-
 ctum.

Hist. Eccles. Tom. XI.

T t

Sæculum IX.

A.C. 858.

In eadem Epistola Episcopi deinde Regem Ludovicum ad restauranda Monasteria & Hospitia hortantur & addunt: *Quandoquidem te Bonum publicum curare profiteris, neminem prius quam te ipsum emenda. In occulto quoque vitam tuam compone, ac si omnium hominum oculis pateres. Non plus credas alienæ linguæ quam propriæ conscientia. Non adulationis tineam te arrodant, nec livor alienæ felicitatis urat. Ob rerum carnalium sollicitudinem animæ tuæ salutem non negligas. Domum tuam ita rege, ut ceteris exemplo esse possit. Ministros habeas timentes Deum, & charitate in proximum flagrantes, qui ad Regiam confugiunt benigne excipiant. Comites aliosque Judices publicos tales constitue, qui avaritiæ vitio non laborent, qui populum non opprimant, qui fruges non auferant, pecora non abigant, qui Episcoporum monitis parentes utilitati Ecclesiæ invigilent, qui partes litigantes audiant & jus dicant non amore lucri sed justitiæ. Item domibus Regiis Prætores præpone, qui servos tuos ad extremam egestatem non redigant, sed agros tui patrimonii solertissime colere procurent, ne, cum iter facis, Episcopis & Abbatibus maximo oneri sis, eosque exactione hospitii, vehiculorum ceterorumque omnium proficiscentibus necessariorum vexare cogaris*

c. 12.

c. 24.

gavis. Comites erant Rectores Provin- Sæculum IX.
 ciarum & hominum liberorum Judices. A. C. 858.
 Præter hos autem & alii constituti erant
 Judices in domibus Regiis, qui Regum
 patrimonia regebant, & Servis Fisci jus
 dicebant.

Optimates vero, prosequuntur Epis- c. 13.
copi, qui ejusmodi crimina Excommuni-
cationis pœna digna perpetrarunt, com-
pelle, ut se Episcopis suis submittant &
Ecclesiæ satisfaciant; quicumque autem
peccatorum eorum particeps effectus, e-
tiam si tu ipse fueris, pœnitentiam susci-
piat. Fac modo cum tuis subditis, quod
tibi suademus, & si tempus magis oport-

tunum ad celebrandum cum Confratribus
nostris Concilium advenerit, de reliquis
etiam, quid faciendum, mentem nostram
tibi aperiamus. Imprimis consilia nobis
conferenda sunt cum Episcopis, qui Re-
gni hujus populo consentiente Fratrem
tuum Sacro Chrismate unxerunt; quo fa-
cto Ecclesia Romana Mater nostra eum
Regem salutavit. Lege libros Regum,
& ex Regis Saulis, etsi reprobi, exem-
plo disces, quanta unctis Domini exhi-
benda sit reverentia. Hunc honorem fra-
tri tuo atque etiam fidem & gratum ani-
mm servamus. An Regni tui fines pro-
ferre vis cum animæ tuæ detrimento?
aut privare nos Sacerdotio cupis? hac e-
nim pœna digni omnino essemus, si Eccle-

Conventus
 Carisiacensis
 Epistola.

Sæculum IX.
A.C. 858. *fias nostras Deo & sana ratione adver-*
santibus tibi traderemus. Quippe Eccle-
sia nobis a Deo commissæ non sunt Feu-
da, quæ Rex, ut lubet, dare & auferre
possit, sed sunt Bona Deo Sacra, de qui-
bus sine Sacrilegio nihil subtrahitur. Nos
vero Episcopi neutiquam more hominum
Sæcularium nos ipsos Vasallos reddere va-
lemus, aut cuiquam contra Scripturam
& Canones fidem jurare. Horrendum
esset facinus, quod abominamur, si ma-
nus nostræ, quæ Sancti Chriftomatis un-
ctionem receperunt, quæque per oratio-
nem & signum Crucis de pane & vino
Corpus & Sanguinem Jesu Chrifti con-
ficiunt, ad præstandum juramentum ad-
biberentur, sicut etiam Episcopi lingua,
per quam veluti per clavem janua Cæli
aperitur. Si autem quiquam juramen-
tum ab Episcopis exegerunt; tam exi-
gentibus, quam præstantibus pænitentia
subeunda est.

Ceterum noli benevolas aures dare ho-
minibus Episcopos proscindentibus, qui
dicunt, servos nos esse & personas viles,
sed memento, Jesum Chriftum, qui solus
Rex est & Sacerdos, Ecclesiæ suæ Regi-
men () inter Auctoritatem Pontifica-*
lem

(*) Verba ipsius Synodi Carisiacensis sunt:
Et in Cælum ascendens suum Regnum id est
Eccle-

lem & Potestatem Regiam voluisse esse Sæculum IX.
 divisum, atque non viros opulentos & no- A. C. 858.
 biles, quibus munus conferret Episcopa-
 le, sed pauperes piscatores elegisse. Ne-
 scimus aliam nobilitatem, quam quod
 Successores Apostolorum simus. Facie-
 mus autem, quod iussisti, jejuniis, oratio-
 nibus & publicis precibus satagemus
 Deum placare, supplicantes, ut ingruen-
 tem tempestatem a cervicibus nostris aver-
 tat. Hujus Epistolæ Hincmarus Auctor
 esse creditur.

§. XLI.

Reliquiæ Cordubenses Parisiis.

Sub illud tempus Reliquiæ quorundam Ann. Bert.
 Martyrum Cordubensium Parisios 858. Transl.
 translatae. Cum Monachi S. Germanito. 6. Act. Be.
 de pratis moniti fuissent, quod jam Cor- p. 49.
 pus S. Vincentii, primi illius Monasterii
 Patroni, ex Urbe Hispaniæ Valentia,
 quia post devastationem Saracenorum vix
 T t 3 illius

*Ecclesiam, inter Pontificalem Auctoritatem &
 regiam potestatem gubernandum disposuit. So-
 mniat ergo Thomafius, cum in Libro suo, de
 Habitu Religionis seu Ecclesiæ erga Rempubli-
 cam, contra totius Ecclesiæ mentem atque om-
 nium Sæculorum sensum & opinionem affirma-
 re non erubescit, Jesum Christum Ecclesiam
 suam fundasse sine Regimine Ecclesiastico, &
 quemlibet hominem nasci Sacerdotem.*

Sæculum IX. illius Civitatis ruinæ superessent, facili
A. C. 858. negotio transferri posset, duo ejusdem

Congregationis Monachi Ufuardus &
 Odilardus accepta facultate Abbatis sui
 Hilduini II. & Regis Caroli Calvi hoc i-
Transl. ter susceperunt. Verum Uzeriam per-
S. Vinc. to. 5. venientes comperiunt, Corpus S. Vin-
Art. p. 609. centii Valentiaë non amplius existere.

Quippe inde ablatum fuerat jam anno
 855. ab Audaldo Monacho Conchitensi
 ex Dicecesi Rutenensi, cui cum Sacris
 Exuviis per Urbem Cæsaraugustanam
 transeunti Episcopus Senior, nescio a quo
 monitus, quod iste Monachus Reliquias
 transferret, eas ademit, & in sua Ca-
 thedrali sepeliri iussit. Attamen cujus
 Sancti ossa hæc essent scire non potuit,
 quamvis ut id ex Audaldo Monacho ex-
 primeret, etiam tormenta adhiberet;
 is enim Episcopo illudit dicens, esse Re-
 liquias S. Martini Martyris. Audaldum
 ad suum Monasterium sine Reliquiis re-
 versum sui pro Monacho vagabundo ha-
 buerunt; inde ad Monasterium S. Be-
 nedicti in Castro, hodie Ecclesiam Ca-
 thedralem, se recipiens benigne exce-
 ptus est a Gilberto Abbate, cui, quæ si-
 bi accidissent, narravit. Tandem Salo-
 mone Comite Cerdaniensi patrocinate
 compulsus est Episcopus Cæsaraugusta-
 nus reddere S. Vincentii corpus, quod
 anno

¶ vulgo Con-
 kitas.

anno circiter 864. ad Monasterium Ca-
strense allatum. Sæculum IX.
A. C. 858.

Porro duos Monachos S. Germani si-
cut & ceteros falsum nomen S. Martini
fefellit, & quibusdam etiam affirmanti-
bus, S. Vincentium Valentia Beneven-
tum fuisse delatum, cum spem abjecis-
sent, S. Patroni sui Reliquias inveniri
posse, ad quærendas alias animum adje-
cerunt, ne ex itinere vacui domum re-
dissent. Ergo Sunifredum, qui Barcino-
ne secundum a Comite gradum tenebat,
consulunt. Is modum persecutionis,
quam Christiani Cordubæ sub Rege Ab-
deramo passi erant, & præcipue Georgii
& Aurelii celebre Martyrium narravit;
statimque duos Monachos Usuardum &
Odilardum vehemens desiderium isto-
rum Martyrum Reliquias habendi sub-
iit. Quamobrem Athaulfo Episcopo
Barcinonensi & Sunifredo aperiunt, se
Cordubam ituros. Illi primum expa-
vescere, & deinde ab hoc consilio Mo-
nachos omni conatu revocare; sed tan-
dem abeuntibus dederunt Epistolas, qui-
bus muniti a Saule Episcopo Corduben-
si & Samsone Abbate Pinnæ mellariæ
Corpus integrum S. Georgii Monachi &
Martyris, Corpus sine capite S. Aurelii,
& caput S. Sabigothæ uxoris ejus, quæ
in hac historia Nathalia vocatur (nempe
geminum ei nomen unum Gothicum,

Sæculum IX. alterum Romanum fuit) obtinuerunt.
A. C. 858. Has ergo Reliquias, quæ in itinere per
 multis miraculis clarescebant, in Fran-
 ciam deferunt, atque 20. Octobr. anno
 858. ad Vicum Acmantum ad possessio-
 nem Abbatiaë pertinentem perveniunt,
 quo magna pars Monachorum cum cor-
 pore S. Germani Normannorum furo-
 rem fugiens se receperat. Rex Caro-
 lus lætabatur, quod Regni sui tempore
 tales Gallia promeruisset flores; ut ve-
 ro de omni illusione esset securus, Cor-
 dubam misit quemdam nomine Mancio-
 nem, qui omnibus exploratis factum cum
 iisdem adjunctis, sicut duo Monachi, re-
 tulit. Usuardus istorum Monachorum
 alter Martyrologii Auctor est celeberrimus;
 hæc vero Historia ipso dictante ab
 Aimoino ipsius Confratre, ejusdem Mo-
 nasterii alumno, conscripta. S. Reliquiaë
 ibidem hodieque asservantur.

§. XLII.

S. Eulogii Martyrium.

vit. S. Eul.
II. Mart. c. 3
Boll. to. 7.
p. 93.

Wistremiro Archiepiscopo Toletano
 eodem anno 858. die ultima fati-
 functo Eulogius Presbyter Cordubensis,
 suffragio omnium Episcoporum illius
 Provinciaë & viciniæ, mortui Successor
 eligitur; aliquo tamen obstaculo super-
 veniente non fuit consecratus, & ipso ad-
 hucdum in vivis agente electus est alius,
 quam-

quamvis Eulogius postquam fuisset electus, ne quidem duobus mensibus integris supervixerit; Martyrium enim & ipse pertulit, qui tot aliis subeundi Martyrii Auctor extiterat. Puella, cui nomen Leocritia, ex nobili Musulmannorum familia nata, a prima ætate Religionem Christianam opera cujusdam mulieris propinquæ edocta, Baptismum acceperat. Quod cum ejus patri matrique suboluisse, continuis virgarum plagis diu noctuque misellam ad renunciandum fidei Christianæ compellere satagebant. Illa vero calamitatem suam perfidum hominem Eulogio Presbytero ejusque sorori significavit, seque percipere in talem locum fugere, ubi libere Religioni suæ vacare posset.

Eulogius modum secreto suggestit, quo ex domo paterna evadere posset, ipsa solerter dolum adjuvante; quippe parentibus imposuit, simulans, se eorum voluntati obtemperaturam. Imo, quo certius falleret, semel etiam in ritus Religionis Christianæ lusit. Cultum corporis quoque impensius curare cœpit, quasi matrimonium cogitans, & quadam die commenta, se ad convivium nuptiale alterius puellæ ituram, domo egressa, convolvit ad ædes Eulogii & ejusdem sororis, qui porrectis brachiis exceptam apud fidelissimos amicorum volentem

Sæculum IX.
A. C. 859.

c. 4.

Leocritia
Martyr.

Tt 5

occul-

Sæculum IX. occultarunt. At pater & mater filia fu-
A. C. 859. ga acerbissime tacti ad locum, quo deti-
 neretur, explorandum, nihil intentatum
 reliquerunt, ipsisque urgentibus Judex
 permultos Christianos, quin etiam San-
 ctimoniales & Presbyteros virgis cædi
 jussit. Eulogius interim propositi sui
 tenax sæpe Leocritiam ex una domo in
 aliam deduci curabat, ut securius late-
 ret, & ipse noctes totas in pavimento
 Ecclesiæ S. Zoili prostratus ferventissi-
 mas ad Deum preces fundens transige-
 bat. Sancta quoque virgo jejunabat,
 vigilabat, in cinere & cilicio cubabat.

e. 5.

Quadam nocte cum ad invisendum
 Eulogium & sororem ipsius venisset, re-
 dire ad proprium diversorium non po-
 tuit, quia ille, qui puellam deducere de-
 bebatur, sero venit, & interim illuxerat.
 Re ad Judicis notitiam perlata, milites
 mittit, qui domum cingunt, atque inde
 Leocritiam & Eulogium raptantes Judici
 sistunt. Is Eulogium interrogat, cur
 hanc puellam domi suæ detineret, qui
 respondet, Presbytero non licere quem-
 quam, qui doceri cuperet, a se repelle-
 re; cumque Judex irritatus diceret, se
 eum tam diu fustibus castigaturum, do-
 nec spiritum emitteret, ait Eulogius, rem
 gladio melius perfici posse, simulque in
 Musulmannorum Prophetam & Religio-
 nem vehementer invehitur. Illico ad
 Pala-

Palatium in conspectum Senatus deduci- Sæculum IX.
 tur, ubi eum Senatorum aliquis, cui erat A. C. 859.
 notissimus, affatus est in hunc modum:

Si homines rudes in exitium pertinaciter ruant, pereant, qui perire volunt; at viros probos & doctos, quibus te accensendum non dubito, eorum insaniam sectari minime oportet. Crede mihi, obsecro! paucis verbis libera modo animam tuam, cum aliter salvus esse nequeas. Revertere deinde ad Religionem tuam, & spondemus te ab inquisitione nostra tutum fore. Eulogius subridens dixit: *O! si scires, quanta præmia illos maneant, qui fidem nostram constanter profitentur, abdicares profecto munus, quod geris.* Tuncque Evangelii veritatem iis intrepide annunciare cœpit, qui, ne eum audire cogerentur, illico ad mortem damnarunt.

Cum duceretur ad locum supplicii, aliquis ex numero spadonum regionum loquenti alapam inflixit, cui ille protinus & alteram maxillam præbens alterum etiam ictum patientissime tulit. Ubi ad locum destinatum pervenit, flexis genibus & extensis ad cœlum palmis oravit, & signo Crucis totum corpus muniens obtulit caput, quod licitor promptissime revulsit a corpore, hora nona, seu post meridiem tertia, die Sabbati, undecima Martii anno 859. Sepultus est
 ad

Sæculum IX. ad S. Zoilum. Quatriduo postea Leo-
 A. C. 859. critia quoque decollata est, corpusque in
 Betim fluvium provolutum, sed inde e-
 reptum, & in Ecclesia S. Genesii in Vico
 Tertios sepultum. Ambos Ecclesia il-
 lis diebus, quibus passi sunt, honorat.
 Mart. Rom. Vitam vero S. Eulogii Alvarus ipse a-
 II. & 15. micus scripsit; ex quo tempore pauca
 Mart. admodum Ecclesiæ Hispaniarum sub ju-
 go Mahometanorum gementis monu-
 menta ad nos usque pervenerunt.

§. XLIII.

Litteræ Hincmari contra rapinas.

Opusc. 7. In Francia cum, civili bello inter duos
 to. 2. p. 148. fratres Ludovicum & Carolum fer-
 vente, omnia rapinis & cædibus misce-
 rentur, Hincmarus Archiepiscopus Re-
 menfis datum ad Parochos suos manda-
 tum in Quadragesima hujus anni 859.
 promulgari præcepit, & cum raptores,
 inquit, ideo solum ad Ecclesiam veniant,
 quia adsueverunt, & in Missa perlecto
 Evangelio remanere non soleant, istud
 Mandatum statim post Epistolam recita-
 bis. In eo Hincmarus hortatur, ut illi,
 qui in sua Diœcesi versantur, a rapinis,
 a vi, aliisque criminibus, quæ tunc im-
 pune committebantur, abstineant, & Lo-
 ca S. Scripturæ refert, ex quibus osten-
 ditur, ea delicta inferni flammis puniri.
 Abstinete, ait, hoc præsertim tempore, in
 quo

quo pro peccatis totius anni Deo satisfaciendum, ut in die Redemptionis nostræ Communionem accipiatis, & ne indigni cum Juda ad interitum vestrum accedatis. Nec dicatis: si ingens est periculum indigne communicandi, ut dicit Episcopus iste, malumus a Communionem abesse, quam mores nostros mutare; etenim Dominus de Communionem sicut de Baptismo dixit; qui non manducaverint carnem meam, non habituros vitam. Itaque quicumque Salutem suam quærit, huic aliud remedium non restat, quam ut per sinceram pœnitentiam peccato moriatur, & emundata conscientia Domini Nostri Corpus & Sanguinem accipiat. Sciatis vero velim vos omnes, qui in mea Diœcesi hæc mala perpetratis, nisi vos emendaveritis, Presbyteris meis me prohibiturum, ne vobis Communionem præbeant. Si quis autem dicat: in alteram Diœcesim pergam his diebus, meminervit, se non homines, sed Deum illudere, & se ipsum turpiter fallere; nam si excommunicatus in alia Diœcesi communicet, incurrit coram Deo majorem damnationem, cum se ab oculis illius, qui ubique est, & sua immensitate omnia implet, abscondi posse existimet.

Hincmarus hoc Mandatum Regi Carolo misit, rogans, ut illud secretum haberet usque ad præstitutam diem, qua fide-

Sæculum IX.
A.C. 859.

Joan. 3, 5.
6, 54.

Opusc. p. 141

Sæculum IX. fideles sibi Subditos convocaret, & ora-
A. C. 859. tione Regia lenitatem Auctoritati mi-
 scens vitia publica exprobraret. Postea,
*si visum fuerit, inquit, hoc mandatum
 meum quotidie illis prælegi jubebis, qui
 ad te venient. Cave autem, ne illos Ar-
 ticulos spreveris, quos Synodus Carisia-
 censis anno præterito ad Ludovicum mi-
 sit, & quos filius meus Hincmarus (hic
 est nepos ejus) meo nomine tibi tradidit,
 quando te in Burgundiam proficiscen-
 tem secutus est. Nihil dubites, tibi ma-
 gis quam fratri tuo hæc dicta sunt.*

*Tria sunt ad me perlata, quæ te celerè
 statueram, sed postquam rem mature
 pensavi, vereor, ne me ipsum reum fa-
 ciam, si ea, quæ famam tuam maculant,
 non referam. Primum est, quod dicas;
 nihil ad me pertinent latrocinia in regno
 meo; vindicent se læsi, ubicunque raptors
 deprehenderit. Scio, istud per calu-
 mnam de te vulgari. Nihilominus hæc
 tibi indicanda esse putavi, ut obtrectato-
 res factis contrariis mendacii convincas.
 Nullus enim Regum, nisi impius sit, a
 Subditis dona & tributa ob bona & fun-
 dos, quibus fruuntur, exigit, nullatenus
 curans, an ea, unde pensiones tribuunt,
 secure & in pace possideant. Alterum
 est, quod illi, qui ad Regiam tuam ju-
 stas querelas deferunt, nihil solatii & ne
 quidem bona verba accipiant. Istud quo-
 que*

Hincmari
 Literæ.

que non credo; sed tertium etiam invitus credere compellor, quod postquam tui omnem annonam ex Ecclesiæ fundis rapuerint, etiam paratam pecuniam extorqueant, quæ a nobis danda est, nisi malimus Domum Dei expilari.

Sæculum IX.
A. C. 859.

Tandem Hincmarus literas dedit ad Clericos aulicos, cum Rege & Regina proficiscentes, quorum servi & familiares iisdem ac ceteri criminibus polluebantur, illudentes feminarum corporibus, & omnia quocunque pervenissent diripientes, unde hominibus annonam & equis suis pabulum pararent. Hos Clericos admonet, ipsorum esse, non solum a vitiis abstinere, sed etiam alios peccantes compescere, & aliquando de peccatis Subditorum suorum rationem Deo reddituros. Deinde subjungit: *Nisi tantum errorem emendaveritis, vos, qui meæ Diæcesi subjecti estis, a munere vestro suspensos excommunicabo usque ad tempus Synodi, illos vero, qui alienæ Ecclesiæ subditi sunt, a Communione meæ Diæcesis & Provinciæ exclusos ad Episcopos suos castigandos remittam.*

Opusc. 6.
p. 146.

§. XLIV.

Legatio ad Regem Ludovicum.

Regis Ludovici expeditione nihil prope aliud effectum, nisi quod rapinæ & latrocinia cumularentur; nam ineun-

to. 8. Conc. p.
1668. to. 2.
Cap. p. 122.

te

Sæculum IX. te vere anno octingentesimo quinquage-
A. C. 859. simo nono ad sua redire compulsus Wor-

matia substitit. Inter hæc vero Metis
 vigesima octava Maji Synodus ad pacem
 cum Rege Ludovico conciliandam, Rege
 Carolo Calvo & Lothario ipsius nepo-
 te consentientibus, celebratur, atque ad
 Regem Ludovicum delegantur Archie-
 piscopi tres, Hincmarus Remensis, Gun-
 tharius Coloniensis, Venilo Rotomagen-
 sis, & Episcopi sex, Herluinus Constan-
 tiensis †, Hildegarius Meldensis, Adven-
 tius Metensis, Ebbo Antiffiodorensis,
 Hincmarus Laodunensis, Nepos Archie-
 piscopi, & Ercanradus Catalaunensis.
 His tradita sunt Mandata & conditiones,
 quibus Regem Ludovicum absolvere de-
 bebant ab excommunicatione, in quam
 incidisset ob mala auditu horribilia in
 Regno Fratris sui perpetrata, & saltem
 quod cum excommunicatis communi-
 casset. In eis sequentia summatim con-
 tinebantur.

† Coutance
 en Norman-
 die.

c. 5.

c. 6.

*Confiteatur, se reum esse omnium malo-
 rum, quæ in nostris Diæcesibus perpetrata
 sunt, quia improborum hominum suasioni-
 bus obsecutus est, & promittat se dignam su-
 biturum pœnitentiam. Illud quoque pro-
 mittat, se ipsum, quamprimum fieri pos-
 sit, venturum ad confirmanda pacis fœ-
 dera cum Principibus nostris Carolo &
 Lothario, seque ea servaturum, si ea Re-
 ges*

ges sua ex parte servaverint. Promittat etiam, nullum præsidium se illis concessurum, qui se ad tantam Dei offensam admittendam impulerunt. Sed in Comitibus proxime celebrandis, si possit, in conspectum Fratris sui Caroli, & Lotharii nepotis illos venire compellat, qui ab ipsis, Dominis suis, ad se defecerunt, quod facturum se Marsnæ sponndit, ut absolvantur, si facta purgent, secus vero condemnentur. Tum Episcopi promissorum mutuorum mentionem faciunt, quibus tres Fratres Lotharius, Ludovicus & Carolus anno 851. in Comitibus Marsnæ prope Trajectum se obstrinxerant, alterum alteri, si opus fuisset, opem la-
 turum, & Vasallos alterius non recepturum.

In Mandatis deinde ulterius legitur: Si Rex Ludovicus hæc omnia, seque ex omnibus viribus suis Ecclesiæ satisfacturum, promittat, date ei Absolutionem ab omnibus peccatis, quæ vel ipse in nostris Diæcesibus commisit, vel ipsius auspicio commissa fuere, eumque Communioni restituite, qua cum excommunicatis communicans se ipsum privavit. Licet vero multorum annorum pœnitentia secundum præfixos a Sacris Canonibus gradus hæc perpetrata facinora indigerent, confisi tamen de Dei Misericordia, apud quem magis acceptatur mensura doloris, quam

Hist. Eccles. Tom. XI.

Uu tem-

Sæculum IX.

A. C. 859.

c. 7.

c. 8.

to. 2. Cap. p.
46. tit. 10.

c. 9.

c. 10.

Sæculum IX. *temporis, & vitiorum destructio, quam*
A. C. 859. *abstinentia ciborum, humaniorem Patrum*
Definitionem sequimur. Citant deinde

Mandata E- Canonem ex Africa, & loca S. Leonis,
piscoporum. sanctique Gregorii, ubi aliud nihil di-
 cunt, quam pœnitentiæ tempora gene-
 ratim in arbitrio Episcoporum posita esse,
 & si peccatores periclitentur, quod in
 Ludovico locum non habebat, de tem-
 pore aliquid demi posse. Hinc Episcopi
 Patrum Auctoritatem hic solum in spe-
 ciem adduxisse videntur. Subjungunt,

6. 11. *sermone ad Delegatos directo: Si Re-*
gem ita animo comparatum non habueri-
tis, cavete ne eum absolvatis, seu potius
ne vosmetipsos ipsius censuris implice-
tis; nollemus enim hujus absolutionis Au-

6. 12. *ctores esse, & vobis facti vestri coram*
Concilio ratio reddenda esset. Si autem
ipse in eadem scelera, quæ ut delet jam
a vobis nostro nomine admonetur, rela-
batur, sciat, quod se denuo Dei & Eccle-
sie Judicio obnoxium faciat.

Cont. p. 682.

His mandatis a Concilio instructi Le-
 gati WORMATIAM se conferunt; quibus
 quarta Julii in conspectum admissis Rex
 Ludovicus statim ait: *Si vos in quacun-*
que re offensos habeo, rogo, ut mihi ve-
niam detis, & sic vobiscum secure nego-
tium tractare possim. Hincmarus Archi-
 episcopus proximus ad sinistram Regis
 stans respondit: *Brevi confectum hoc e-*
 rit

vit negotium, cum id ipsum petas, quod tibi oblaturi advenimus. Tum postquam Grimoldus Abbas S. Galli & Regis Ludovici Archicapellanus, & alius Episcopus, cui nomen Theodoricus Hincmaro collocti fuissent, ipse iterum ad Regem: *Nihil mali mihi intulisti, cujus memoriam teneam, nam si tenerem, Altari ad offerendum Sacrificium appropinquare non auderem.* Rursus Theodoricus ad Hincmarum: *Fac, quod a Rege rogaris, & ei ignosce.* Hincmarus, semper ad Regem conversus, respondit: *Quæ me ipsum tangunt, dudum remisi, & remitto. Si autem spectemus mala Ecclesie meæ & populo illata, consilium suggero, & auxilium affero secundum Legem Dei, qui consulatur Saluti tuæ.* Grimoldo, Theodorico & Salomone Episcopo Constantiensi dicentibus, sapienter hæc ab Hincmaro differi, alii quoque Legati ipsius dicta sua sententia confirmarunt. Guntherius insuper Regi Mandata sibi commissa exhibuit, at ille rem ipsam pertractari noluit dicens, nihil a se posse statui, priusquam Regni quoque sui Episcopus ad consilium vocasset. Ita Legati Concilii Metensis nulla data Absolutione recesserunt.

Sæculum IX.
 A. C. 859.

Sæculum IX.
A.C. 859.

§. XLV.

Synodus Saponariensis.

- to. 8. p. 647.* Paucis post diebus eodem mense Junio magnum Concilium prope Civitatem Tullensem celebratum, cui Episcopi ex
Capit. tit. 29. p. 30. duodecim Provinciis, & tribus Regnis Caroli Calvi, Lotharii & Caroli nepotum ipsius, præsentium, interfuerunt.
6. 4. In hoc Concilio tredecim Canones conditi, qui potissimum causas privatorum respiciunt. Querelæ movebantur de Ordinatione trium Episcoporum, Tortoldi Bajocensis, Anscharii Lingonensis & Attonis Virdunensis. Tortoldus olim Diaconus Venilonis Archiepiscopi Senonensis, quem etiam sanguinis affinitate contingebat, cum ad Regis Ludovici partes transisset, hujus Principis suffultus Patrocinio Episcopatum Bajocensem obtinuerat, quem tum promissis tum minis tumidus sibi retinere conabatur. Jubet Synodus, ut Venilonis Senonensis & trium præterea Episcoporum iudicio staret; si venire detrectaret, Principis mandato compelleretur, & si contumaciter reluctaretur, anathemate percuteretur.
6. 5. Anscharius Subdiaconus se se in Sedem Lingonensem, Isaaco Episcopo adhuc dum luce fruente, intruserat, fidemque Clericorum, Vasallorum & Servorum sollicitaverat. Cum verò promitteret

teret se velle ab incepto desistere, Syno-
 dus ejus pœnitentiam recepit, præscri-
 ptisque formulam juramenti, quo facti
 veniam rogabat, & nihil tale se deinceps
 moliturum spondebat. Ei etiam prohi-
 bitum, ne unquam Episcopatum Lingon-
 nensem, aut Genevensis, nam & huic
 inhiaverat, ambire auderet.

Sæculum IX.
 A. C. 859.

Atton Episcopus erat Viridunensis, o-
 lim Monachus S. Germani Antiffiodori,
 namque ejus Monasticæ Professionis Sche-
 da exhibebatur. Non nulli quereban-
 tur, quod contra Canones ad Episcopale
 fastigium esset promotus. Forte quod
 Præpositorum suorum consensus abfuerit.
 Jusfit Synodus, ut compareret. Aliun-
 de autem scimus ipsius Ordinationem
 fuisse confirmatam, atque Ecclesiam Vir-
 dunensem omnibus eum honore debito
 prosequentibus gubernasse. Econtra
 Ordinatio Tortoldi nulla pronunciata
 creditur, quia anno sequente alius Epis-
 copus Bajocensi Ecclesiæ præfuisse le-
 gitur.

c. 7.

v. not. Sirm.
 in Capit.

§. XLVI.

Libellus Regis adversus Venilonem.

Rex Carolus Calvus Synodo Saponari-
 riensi libellum obtulit, in quo dice-
 bat: *Venilo Clericus meus in Capella mea*
mibi serviens fidelitatem Sacramento
mibi promiserat, & me commendante Ar-

to. 8. Conc.
 p. 679.

Uu 3

chi-

Sæculum IX. *chiepiscopus Senonensis ordinatus est.*
A. C. 859. *Quando Regnum cum fratribus meis di-*
visi, cum ceteris Episcopis hoc fœdus se
servaturum edito juramento promisit.
Postea me Regem consecravit in Ecclesia
S. Crucis Aveliani, in ipsius Provincia
posita, & promisit, me a Regia Dignita-
te nunquam depositurum, saltem sine con-
sensu Episcoporum, qui me unacum ipso
consecraverant, quorum iudicio me sub-
misi, & bodieque submitto. Hæc ver-
 ba ore Regis prolata singulari attentione
 digna sunt, nec quisquam alius, qui i-
 stud professus fuisset, saltem in Francia,
 occurrit. Sed exemplum Ludovici Pii,
 toties se ab Episcopis coronari & resti-
 tui patientis, & propria Caroli imbecilli-
 tas eum impellere potuerunt, ut tam de-
 misse de se loqueretur. Ut ut autem
 res se habeat, Episcopi credidisse viden-
 tur, quod deponere Reges possent, cum
 dubitari nequeat, quin ex eorum consi-
 lio Libellus iste fuerit concinnatus. In
 quo deinde leguntur sequentia: *Cum se-*
ditiones in Regno nostro crebrescere cape-
runt, ego & subditi mei libello subscri-
psimus, promittentes mutuam auxilium,
& Venilo subscripsit cum ceteris. Ubi
 vero Ludovicus frater meus in Regnum
 meum cum exercitu irrupit, Venilo ex
 omnibus Episcopis solus me deserto & sine
 meo consensu ad colloquendum cum hoste
 pervexit.

6. 4.

perrexit. *Auxilium, quod mihi in hoc bello ipsius Ecclesia conferre tenebatur, non præbuit, quamvis id instanter petierim. Imo vires suas fratri meo contra me junxit. Præterea quamvis fratrem meum subditi mei rebelles sequerentur, quos excommunicatione esse implicitos Episcopi datis literis Veneloni indicaverant, nihilominus publice ipsis præsentibus in Arce mea Attiniacensi sine Episcopi Diœcesani licentia Missam celebravit, & fratrem meum perjurus consilio adjuvit, quo Regni parte mihi competente spoliarer. A fratre meo Abbatiam S. Columbæ, in Regno meo positæ, atque etiam lapides collapsi muri Civitatis Melodunensis postulavit & accepit. Episcopatum Bajocensem Tortoldo propinquo suo, Clerico meo, qui mihi fidem juraverat, obtinuit. Denique viribus Dei auxilio receptis exercitum in agros urbi Senonensi adjacentes deduxi, nec tamen Venilo quidquam subsidii mihi contulit.*

Sæculum IX.
A. C. 859.

Hoc Libello perlecto decrevit Synodus, ut Venilo præstituta die venire juberetur, ediditque Epistolam Synodicam, in qua plerorumque Episcoporum in hoc Concilio præsentium nomina leguntur. Primo occurrunt Archiepiscopi octo, Remigius Lugdunensis, Rudolfus Bituricensis, Guntharius Coloniensis, Hincmarus Remensis, Arduicus Vesuntinus,

Uu 4

Treut-

Sæculum IX. Treutgaldus Trevirensis, Venilo Rotomagensis, Herardus Turonensis. Postea conspiciuntur nomina triginta duorum Episcoporum, atque inter alia, Ebbonis Gratianopolitani, Rotadi Sueffionensis, Adventii Metensis, Attonis Virdunensis, Æneæ Parisiensis, Agii Aurelianensis, Hincmari Laodunensis, Roberti Cenomanensis, Eluini Constantiensis, Isaaci Lingonensis, & Erchamberti Bajocensis; unde videmus Tortoldum fuisse exclusum.

In illa ergo Epistola Episcopi, postquam omnes querelas Regis adversus Venilonem exposuerunt, dicunt: *Rex Judices tibi dedit Remigium Lugdunensem, Venilonem Rotomagensem, Herardum Turonensem, & Rudolfum Bituricensem, in quorum conspectum trigesimo, postquam hanc Epistolam acceperis, die venies, & causam dices.* Post hanc Epistolam ponuntur Excerpta ex antiquis Conciliis ad præcipua accusationis capita in libello contenta exaggeranda. Herardus Turonensis a Concilio delectus, qui Epistolam ad Venilonem Senonensem deferret, & mandatum veniendi insinua- ret; sed ipse morbo impeditus eam per Robertum Cenomanensem Suffraganeum suum misit, addita altera, qua Venilonem exhortatur, ut honori Sacerdotali consuleret, facta dilueret, & Regi satisfaceret.

ret. Venilo huic consilio obsecutus, Re- Sæculum IX.
gi reconciliatus est, & Judicium Episco- A. C. 859.
porum declinavit.

§. XLVII.

Litteræ ad Britones datæ.

Synodus Saponariensis etiam ad Episco- c. 8.
pos Britannia, in Schismate perseve- *Sup. Lib.*
rantes, dedit Epistolam, quæ solum ad XLVIII.
quatuor Episcopos antiquos dirigebatur; §. 43. p. 695.
tres enim recentiores non recipiebantur. Hortatur Synodus, ut ad obedientiam Archiepiscopi Turonensis Metropolitanæ sui redeant, & cum illis, quos ipse ob crimina sua a Communione Ecclesiæ exclusisset, non amplius communicent. Sequuntur deinde monita ab iisdem Episcopis Salomoni, qui supremam in Britannia potestatem ambiebat, suggerenda, quibus ad præstandam Regi Carolo obedientiam permoveretur. Præterea ad novem Gentis Britonum Optimates, quorum maxima erat auctoritas, Epistola data, qua justitiæ memores esse, & salutis suæ timere monentur, addita comminatione, si obstinate in errore perseverarent, Sacro Ecclesiæ fulmine esse prosternendos. Ex illa Epistola dispicitur, Britanniam non minus quam Franciam latrociniis ceterisque calamitatibus fuisse vexatam.

Uu 5

In

Sæculum IX.

A. C. 859.

c. 10.
 Sup. n. 22.
 Hincm.
 præf. de
 Præd. v.
 Maug. Diff.
 c. 40.

c. 10.

In hoc Concilio iterum lecti sunt Articuli de Doctrina Prædestinationis a Remigio Lugdunensi & Hincmaro Remensi compositi, videlicet, sex primi Articuli Concilii Valentini, & quatuor Concilii Carisiacensis. Cum Canones Valentini legerentur, Episcopi Hincmaro faventes quædam opponere parabant; sed Remigius eorum animos delinivit gravibus verbis edicens, si quibusdam Episcoporum hi Articuli non probarentur, utrinque Libros Patrum producendos esse in futuro Concilio, ubi communi consensu, quæ Traditioni Ecclesiæ magis consentanea visa fuissent, definirentur. Non nulli adversæ partis hæc explodere & dicere, non esse illos Articulorum, quos defenderent, Auctores. Hincmarus vero & plerique ipsi faventes non ignari, cum Adversariis doctissimis & eruditissimis sibi rem esse, ceteros edocuerunt, Articulorum Valentini Favoribus potuisse argumenta gravia suppetere, cur paterentur, has quæstiones aliquanto tempore agitari, priusquam communi consensu resolverentur. Itaque cum Hincmarus Remigii sententiam amplecteretur, Synodus Saponariensis decrevit, Articulos, de quibus dissentirent, in proximo Concilio post restitutum pacem celebrando esse examinandos.

§. XLVIII.

§. XLVIII.

Sæculum IX.

A. C. 859.

Concilium Lingonense.

Articuli Synodi Valentinae a quodam Concilio die decima nona Aprilis, eodem anno octingentesimo quinquagesimo nono, in Abbatia SS. Gemellorum prope Lingonas celebrato, praesidentibus Remigio Archiepiscopo Lugdunensi & Agilmaro Viennensi, assidentibus Ebone Gratianopolitano pluribusque aliis Episcopis, Rege quoque ipsorum Carolo juniore Lotharii Imperatoris filio praesente confirmati fuerant. In hoc Concilio Lingonensi sexdecim Canones conditi, & urgente Remigio in Concilio Saponariensi, cui etiam tanquam pars illius fuere inserti, lecti sunt & approbati. Priores sex non sunt alii, quam sex Articuli Concilii Valentini de Praedestinatione, nisi quod in Canone quarto quatuor Articulorum Carisiacensium nulla fiat mentio; qui forsan, cum Saponariae alia relegerentur, ideo omisi sunt, ne Hincmarus ejusque fautores offenderentur. Quomocunque autem res contigerit, in Sæculo Nono non habemus aliam Definitionem Authenticam de Gratia & Praedestinatione, quam hos sex Canones in tribus Conciliis promulgatos. Non enim invenimus hanc materiam in aliquo Concilio posteriore, sicut

to. 8. p. 673.

p. 609.

Epis-

Sæculum IX. A. C. 859. Episcopi in Synodo Saponariensi conve-
nerant, fuisse discussam; imo potius hi
Ann. Bert. sex Canones Romæ confirmati videntur,
cum quidam Annalista illius ævi ad hunc
annum octingentesimum quinquagesi-
mum nonum dicat: *Nicolaus Papa Do-*
ctrinam Catholicam de Gratia Dei & li-
bero arbitrio, de veritate duplicis præde-
stinationis, & Sanguine Jesu Christi
pro omnibus Fidelibus effuso () confir-*
mavit.

Decem alii Canones Concilii Lingo-
nensis ad Disciplinam pertinent, & qui
de Conciliis Scholisque agunt, præ cate-
ris memorari merentur. Principes ro-
gentur, ut Concilia Provincialia singulis
annis, & intra biennium Conventum
generalem in eorum Palatiis agi permit-
tant. Item rogandi sunt Principes, &
Episcopi instantissime commonendi, ut
Scholæ publicæ ad discendas sacras Scri-
pturas & humanas literas, ubicunque vi-
ri ad docendum idonei haberi possent,
constituantur, quod annis præcedenti-
bus Imperatores maximo Ecclesiæ emo-
lumento fecissent. *Cum econtra hodie, in-*
quiunt

(*) Doctrina Catholica est, unam dari Præ-
destinationem ante prævisa merita ad vitam æ-
ternam, & Jesu Christi Sanguinem non pro
Fidelibus tantum, sed pro omnibus fuisse effu-
sum.

quiunt Patres, *videmus, quod maxime do-* Sæculum IX.
A.C. 859.
lendum est, fidelem Divinæ Scripturæ in-
telligentiam ita dilabi, ut vix ejus extre-
ma vestigia reperiantur.

§. XLIX.

Statuta Herardi & Isaaci.

Inter Episcopos, in Concilio Saponarien- to. 8. Conc.
p. 617. to. 1.
si præsentibus, duo sunt, quorum Cano- Cap. p. 1283.
to. 8. Conc.
p. 589. to. 1.
nes de Disciplina agentes ad nos perve- Cap. p. 1233.
Chr. S. Be-
nig. p. 416.
to. 1. Spicil.
nerunt, nempe, Herardus Archiepisco-
pus Turonensis & Isaac Episcopus Lin-
gonensis. Canones Herardi sunt Statu-
ta in ejus Synodo Diœcesana decima sex-
ta Maji anno octingentesimo quinquage-
simo octavo, Pontificatus sui tertio, In-
dictione sexta, edita, in centum quadra-
ginta divisa Articulos, quos omnes hau-
sit ex diversis locis Capitularium Regum,
ut Baluzius adnotavit. Collectio Isaaci
quoque originem suam debet Capitula-
ribus, quod ipse Auctor fatetur in hunc
modum: *cum illi, quos emendare cupi-*
mus, Regulas a nobis traditas spernant, &
dicant, eas a nostro prorsus arbitrio pro-
ficisci, ejusmodi refractarios auctoritate
Regum & Papæ in obedientia continendos
esse credidimus. Nempe horum Capitu-
lorum aliqua ex Conciliis a S. Bonifacio
Moguntino Auctoritate Zachariæ Papæ
celebratis excerpta sunt. Isaacus suam
Colle-

Colle-

Sæculum IX. A. C. 859. Collectionem, maximam partem, ex tribus postremis Libris Capitulorum a Benedicto Diacono compilatorum excerpfit; est autem amplissima, & divisa in undecim Titulos, quorum unusquisque complures articulos continet. In primo de Pœnitentibus & eorum pœnis, in decimo de Stabilitate Clericorum in Ecclesiis Tituli sui agitur.

§. L.

Tractatus Hincmari secundus de Prædestinatione.

Maugi diff.
6. 45. **H**incmarus quatuor Articulos Carisfacenses, nempe opus suum, defensor, haud diu post Concilium Saponariense alterum de Prædestinatione Tractatum edidit, quem sicut primum Regi Carolo Calvo, suo & ceterorum Episcoporum nomine, inscripsit. Dividitur in Capita triginta & octo, atque initium ab Historia Hæresis Prædestinatianorum ducitur. Nempe, putat Hincmarus, hanc Hæresim S. Augustini temporibus natam fuisse; cujus rei argumentum affert Disputationem Monachorum Adrumetinorum, & Objectiones Gallorum, in epistolis Prosperi & Hilarii relatas. Sed hæc Scripta omnia explicari facile possunt, etiamsi nulli alii Hæretici invehantur, quam illi, qui tunc existebant
Pela-

Sup. lib.
XXIV. §.
45. 58. 59.
v. Sirm. hist.
Prædest. &
Maug. con-
fut.

Pelagiani & Semipelagiani, Doctrina S. ^{Sæculum IX.}
 Augustini, quam non capiebant, ^{A. C. 859.} offensi.

Hinc complures doctissimi Theologi af-
 firmant, Hæreticos Prædestinatianos
 nunquam extitisse; & aliunde satis ex-
 ploratum est, Hincmarum in pluribus
 circa hanc materiam fuisse allucinatam.

Quippe errasse deprehenditur, cum de
 Concilio Arelatensi, in quo Lucidus Pres- ^{Hincm. c. 1.}
 byter suam Doctrinam retractavit, scri- ^{p. 15. Sup.}
 psit, celebratum fuisse jubente S. Cœlesti- ^{l. XXVI. §.}
 no Papa, an. 432. & proinde plus quam an- ^{15. XXIX.}
 nis quadraginta, priusquam Concilium il- ^{§. 40.}

lud Arelatense celebraretur, mortuo. Item
 cum Hilarius Laicus, qui ad S. Augu-
 stinum scripsit, a S. Hilario Archiepisco-
 po Arelatensi non discernit. Præterea
 fallebatur Hincmarus affirmans, Hypo-
 gnosticon esse Opus S. Augustini, & Tra-
 ctatum de induratione Pharaonis ex ca-
 lamo S. Hieronymi fluxisse, quibus ta-
 men libris ipsius argumenta sæpe nitun-
 tur.

Hincmarus deinde ad refutandum
 Gotteschalcum progreditur, quem Hæ-
 resim Prædestinatianorum renovasse sibi
 fingit, & ad Auctoritatem S. Fulgentii de
 duabus Prædestinationibus respondere
 conatur. (*) In corpore autem totius
 Operis

c. 2.

c. 3.

c. 6. II.

(*) Fleurio opinio de duplici Prædestinatio-
 ne

Sæculum IX. Operis sex Articuli Concilii Valentini
 A C. 859. ad examen vocantur. Hincmarus pri-
 mum silentio præterit, sed secundum &
 tertium oppugnat; tum vero occasione
 ex quarto Articulo arrepta quatuor suos
 Articulos Carisiacenses ab errore immu-
 nes probare nititur. (*) Profitetur, se
 c. 16. novendecim Articulos Joannis Scoti nol-
 le

ne multum placere videtur. Quamvis vero
 S. Augustinus Tract. 48. in Joan. vocem *Præde-
 stinatio* etiam ad reprobationem significandam
 extendat, cum dicit: *Quomodo ergo istis di-
 xit: non estis ex ovibus meis? quia videbat eos
 ad sempiternum interitum prædestinatos, non
 ad vitam æternam sui Sanguinis pretio compa-
 ratos.* Et 15. de Civit. Dei c. 1. ponit duas Ci-
 vitates, quarum una, inquit, *prædestinata est in
 æternum regnum cum Christo; altera æternum
 supplicium subire cum Diabolo.* Nihilo minus
 in sensu proprio & stricto Theologi unicam as-
 ferunt Prædestinationem, videlicet illam, qua
 creatura rationalis ad vitam æternam infallibiliter
 consequendum prædestinatur, & cui comparata
 Prædestinatione ad supplicium æternum proprie
 & stricte talis dici non potest. Mezger. in Tract.
 de Deo uno.

(*) Illud in Articulo secundo Hincmari repre-
 hendi potest, quod simpliciter affirmet; nos in pri-
 mo homine libertatem amisisse. * Quamvis enim
 per peccatum Adami debilitatum fuerit liberum
 hominis arbitrium, non tamen fuit amissi

le defendere, & quintum Valentinum ve-
rum esse concedit, simulque dicit, illum
suae doctrinae non adversari. De sexto
Articulo fileet.

Sæculum IX.

A. C. 859.

c. 31.

At fusissime differit de Canone septi-
mo, ad Disciplinam spectante, & illegi-
timam Ordinationem Episcoporum pro-
hibente. Suspiciabatur enim, illum Ca-
nonem maligne contra se fuisse fabrica-

c. 36.

Sup. §. 8.

tum, quasi vero ipsum non Electio Cano-
nica, sed Principis favor ad Episcopatus
apicem evexisset. Hinc multum mora-
tur narrans totam historiam suae Electio-
nis, & repetens Acta Concilii Sueffionen-
sis, in quo Electio ipsius confirmata. De-
inde præsumens, satis a se demonstratum,
quod sui Adversarii veterem Prædestina-
tionum (*) Hæresim voluerint reduce-
re, duodecim Articulos seu Statuta Con-
ciliorum & Pontificum de iis, qui reno-
vant Hæreses pridem damnatas, refert.
Tandem prolixè ea omnia repetit, quæ
aliquando de Doctrina Prædestinationis
scripserat. In his omnibus Hincmarus
vastam quidem eruditionem, sed valde
mediocre ingenium & iudicii vim exi-
guam prodit.

c. 37.

c. 38.

Ubi

(*) Istorum Hæreticorum Nomen nunquam
antea occurrit.

Hist. Eccles. Tom. XI.

X x

Sæculum IX.

A. C. 859. Ubi Hincmaro de Joanne Scoto sermo fuit, adjicit: *Dantur & alii contra*

c. 31.

p. 232.

fidem errores, quo illi procedunt, qui novas voces excogitando apud vulgus famam aucupantur; videlicet, Divinitatem esse trinam, Sacramentum Altaris non esse verum () Corpus & verum Sanguinem Domini.*

(*) Ecce! hic dicit Hincmarus; docere, quod Sacramentum Eucharistiæ non sit verum corpus & verus sanguis Domini, sed ejusdem memoria (quod nempe Protestantes docent) non esse antiquam Ecclesiæ Doctrinam, sed novum quorundam popelli laudes captantium errorem. Quo Hincmari testimonio jugulatur calumnia Cavei aliorumque Protestantium dicentium Ratbertum Paschasium primum fuisse ausum, carnalem præsentiam Christi in Eucharistia affirmare.

Portentosum vero illud est, quod somniat Thomafius in suo libro: *Verhältniß der Religion oder der Kirche gegen den Staat*, verba Christi Domini: *Hoc est Corpus meum*, Matth. 26. in eo sensu esse accipienda, quo accipiuntur verba Exodi Cap. 12. *& comedetis festinanter, est enim Phase (id est transitus) Domini.* Nam observandum, verba quidem S. Scripturæ sensu literali & proprio esse accipienda, quando nullum sequitur inconueniens, absurdum, vel impossibile. At vero, absurdum est & impossibile, ut Agnus, qui comeditur, in sensu literali &

Domini, sed tantum veri Corporis & ve- Sæculum IX.
ri Sanguinis memoriam, Angelos esse cor- A.C. 859.
poreos, Animam Hominis non esse in cor- Anal. Bert.
pore, pœnam inferni solum in memoria 855.
peccatorum & propriæ conscientie cru-
ciatu constitui. In his cum Hincmaro
consentit quidam illius ævi Annalium c. 16. 19.

X x 2

Scri-

& proprie fiat Transitus Domini. Econtra, cum in pronunciatione verborum: *Hoc est Corpus meum*, vera caro & sanguis sub speciebus panis & vini ponuntur, nihil fit, quod inconueniens, quod absurdum, quod impossibile fit. Si enim spectamus Dei Omnipotentiam, non est impossibile, quod Filius Dei, qui potuit modo nobis incomprehensibili Deus permanere & homo fieri, idem Deus & Homo itidem supernaturali in Eucharistia existat; quippe Transubstantiationem Sacramentalem esse singulare Divinæ Omnipotentia Opus, a SS. Patribus passim docemur.

Si autem attendamus ad Jesu Christi Charitatem, qua in genus humanum flagrabat, dum in ultima Cœna dixit: *Hoc est Corpus meum*, nihil nimium, nihil absurdum videri poterat infinite nos amanti. Si denique tanti Sacramenti Dignitatem & Majestatem consideremus, ex modo, quo Doctores Catholici Jesu Christi in Eucharistia existentiam, ejusdemque existentia mutatis speciebus cessationem, explicant, nihil sequitur.

Sæculum IX. Scriptor, qui dicit, complures quæstiones Fidei contrarias in Regno Caroli Calvi, ipso non ignorante, agitatas fuisse. A. C. 859. Posteriores errores, quos hic notat Hincmarus, in Libro Joannis Scoti de Prædestinatione legere est; sed primus non existit, nisi in opinione solius Hincmari, qui scandalum accipiens, quod in quodam Hymno Martyrum cantaretur: *Te Trina Deitas & reliqua*, asserit, his vocibus Essentiam Divinam dividi. Gotteschalcus libellum edidit, quo probabat, hunc modum loquendi esse Catholicum, & Hincmarus composuit amplum Tractatum ad Gotteschalcum refutandum, quo non obstante Ecclesia has voces usque in hanc diem cantat. (*)

§. LI.

quitur, quod sit inconueniens, nisi cum paganis sentire velimus, ipsum Incarnationis Mysterium rem esse Divina Majestate indignam.

Itaque secundum Doctrinam S. Ecclesiæ Catholicæ dicamus. *Christus potuit, deuit, dixit: Hoc est Corpus meum; ergo fecit.*

(*) Nempe sicut Deus potest dici unus & trius, ita etiam Deitas dicitur trina cum relatione ad Personas, quamvis in recto Divinitas trina non sit. Sed Ecclesia de vocibus non tricatur, ubi de sensu Catholico constat.

Paschasi Ratberti Scripta.

Quantum spectat ad errorem de Evcharistia, de quo Hincmarus loquitur, eum Joannes Scotus docuisse creditur. Liquido enim constat, ipsum de hoc argumento contra Paschasium Ratbertum librum scripsisse, post annos deinde circiter ducentos in Concilio Vercellensi anno 1050. damnatum. Hic liber Joannis Scoti non amplius superest; aliud vero habemus Opus celebratissimum Ratrami Monachi Corbejensis, & duo alia Scripta illius ævi, non apposito Auctoris nomine. Non nesciebat Paschasius Doctrinam suam a quibusdam oppugnari; hinc in Libro suo duodecimo in S. Matthæum, annis plusquam viginti post Tractatum suum de Evcharistia edito, occasione illorum verborum: *Hoc est Corpus meum*, dicit: *fusus de hoc argumento differui, quia ad me perlatum est, quod a non nullis arguar, me in libro meo plus his verbis tribuere voluisse, quam ipsa Veritas promittat, timentibus forsan, quod illi timuerunt, quibus JEsus Christus loquebatur, ne ejus Corpus frustatim concidere intenderem. (*)*

*Mabil. præf.**to. 6. Act.**n. 131. 132.**Lanfr. contr.**Bereng. c. 4.**Mabil. ibid.**n. 19. 44. 45.**p. 1094.*

XX 3

Pascha-

(*) Ex his videmus, Adversarios Paschasi de modo,

Sæculum IX. Paschasius, postquam secessisset, scripsit
 A. C. 859. librum de vita Walæ, libros quatuor ul-
 timos in S. Matthæum, tres alios in Psal-
Elog. to. 6.
Act. Ben. n. 2. mum 44. & quinque in Lamentationes
Ec. p. 121. Jeremiæ, nempe dimidiam prope Ope-
Sup. §. 8. rum suorum partem.

Mabil. præf. Sub ea quoque tempora scripsit epi-
n. 18. stolam ad Frudegardum, quem Corbejæ
Pasch. p. novæ Monachum fuisse credunt. Is da-
1619. ta ad Paschasium epistola, quæ sibi &
 quibusdam aliis in Libro de Evcharistia
 diffici-

* *Sup. lib.*
XLVII.
§. 35.

modo, quo Christus in Evcharistia existit, non
 autem de reali præsentia controversiam movisse,
 ut sup. Lib. XLVII. §. 35. notavi. Ceterum de
 Libro ipso Paschastii, quem de Corpore & San-
 guine Domini scripsit, * Mabilionius in cap. I.
 Præf. ad Sæc. IV. part. II. hæc habet: *Quippe*
Hiobus Gastus Hagenoensis Paschastii librum, de
quo hic agimus, vulgavit anno millesimo quin-
gentesimo vigesimo octavo, eumque penitus per-
vertere demum ausus est pudendo plane ac dete-
stando facinore. Cum enim Paschasium non mi-
nus Transubstantiationis & Sacrificii, quam
realis Præsentia patronum ubique animadver-
teret, eo processit hominis impudentissimi teme-
ritas, ut non solum integra hujusce libri Ca-
pita expunxerit, verum etiam alia subinde ver-
ba aliasque sententias subornavit intruseritque,
quo Paschasium errori suo patrocinari persua-
deret. &c.

difficilia intellectu videbantur, exposuit, responditque Paschasius suam sententiam defendens; nimirum, idem esse Jesu Christi Corpus in Evcharistia quod de Virgine natum est, illudque simul Rem ipsam esse & Figuram. *Relege, inquit in fine, librum, quem de hoc argumento edidi; licet enim pueris scripserim, audio tamen, hoc Scripto me complures viros ad comprehendendum hoc Mysterium, atque cogitationes Jesu Christo dignas concipiendas excitasse.* Huic epistolæ illum locum Commentarii sui in Matthæum, quem superius retuli, & quædam alia loca ex Patribus junxit.

Sæculum IX.
A.C. 859.

§. LII.

Tractatus Ratrami de Eucharistia.

Ergo Odomi Abbatis ætate Ratramus Presbyter & Monachus Corbejenfis, hanc provinciam sibi demandante Carolo Calvo, Tractatum de Corpore & Sanguine Domini scripsit, quem ad præfatum Principem direxit. Hujus Libri argumentum ipse Ratramus exponit in hunc modum: *Quærit tua Majestas, an quod in Ecclesia ore Fidelium sumitur, Corpus & Sanguis Christi in Mysterio fiat, an in veritate; id est utrum aliquid secreti contineat, quod oculis Fidei solummodo pateat, an sine cujusque Mysterii ve-*

Mabil. præf.

to. 6. n. 81. 83.

Ratram.

edit. Paris.

1686. n. 5.

Sæculum IX. A. C. 859. *lamine hoc oculi corporis intueantur exterius, quod mentis visus inspicit interius, ita ut totum, quod agitur, in manifesta luce clarescat. Secundo quæris, Rex, utrum ipsum Corpus sit, quod de Maria Virgine natum, passum, mortuum, sepultum, post resurrectionem in Cælum ascendens, & ad dexteram Patris sedens. (*)* Ex his duabus quæstionibus duæ Partes libri ipsius constant. Posterior quæstio contra Paschasium pugnat, affirmantem, Corpus Jesu Christi in Eucharistia idem esse, quod natum de Virgine. Sed prior quæstio Paschasio non adversatur, qui in suo Tractatu de Eucharistia diserte asserit, eam simul esse Veritatem & Figuram. In epistola vero sua ad Frudegardum dicit: *Si quis affirmat hanc carnem & hanc sanguinem careere Mystério & figura, totum Sacramentum dissipat.*

Tunc autem ex Catholicis viris non nulli omnino negabant, panem & vinum figuram esse Corporis & Sanguinis Jesu Christi, nixi hoc fundamento, quod cum signum non sit res ipsa, cujus signum est, tunc non amplius Corpus & Sanguis Jesu Christi adesset. Hæc opinio sub idem tem-

(*) Est idem omnino corpus; sed modo Sacramentali, supernaturali & nobis non perceptibili existens.

tempus ab Haimone Episcopo Halbersta- Sæculum IX.
 diensi post S. Joannem Damascenum de- A. C. 859.
 fendebatur, quam Ratramus oppugnat, *Haim. de*
 dicens, ex illa sequi, nullum Evcharistiæ *Corpor. &*
 inesse Mysterium, & inde rursus nullam *Sang. Da-*
 Fidei materiam. At illi, contra quos Ra- *masc. IV.*
 tramus disputat, non admittebant istud *de fid. c. 14.*
 sequi; imo Haimo diserte contrarium
 affirmat, gustum & figuram panis & vini
 permanere, ut sine horrore sumantur,
 quamvis utriusque Substantiæ natura in
 Corpus & Sanguinem Jesu Christi omni-
 no fuerit mutata; sed aliud esse, quod
 sensibus objicitur, & aliud quod Fides
 nos docet.

Hinc Ratramus Adversarios suos non *n. 15.*
 arguit, ipsos negare, quod de fide cre-
 dendum est, sed solum sibi ipsis contradi-
 cere. *Quippe, confitentur, inquit, secun-*
dum Fidem, Evcharistiam esse Corpus &
Sanguinem Jesu Christi, & ex consequen-
ti non esse id, quod prius fuit. ()* Super-
 rius autem Fidem suam de hoc Mysterio *n. 9.*
 explicaverat in hunc modum: *Exterius*
quidem panis, quod ante fuerat, forma præ-
tenditur, color ostenditur, sapor percipi-
tur. Ast interiis longe aliud multoque
 Xx 5 *pre-*

(*) Hic ex Ratramo, quem Cave pro sua Hæ-
 resi subdole adducit, probatur Transubstantiatio
 Catholica.

Sæculum IX. A. C. 859. S. Eucharistiæ Sacramentum. n. 10.

pretiosius, multo excellentius intimatur, quia cæleste, quia Divinum, id est Christi Corpus, quod non sensibus carnis, sed animi fidelis contuitu aspicitur, accipitur, & comeditur. Vinum quoque, quod Sacerdotali consecratione Christi Sanguinis efficitur Sacramentum, aliud superficie tenus ostendit, aliud interius continet. Quid enim aliud in superficie quam substantia vini conspicitur? () At interius si consideres, jam non liquor vini, sed liquor Sanguinis Christi credentium mentibus & sapit dum gustatur, & agnoscitur dum conspicitur, & probatur dum odoratur. Item, Panis qui offertur, ex frugibus terræ cum sit assumptus, in Christi Corpus, dum sanctificatur, transponitur, sicut & vinum cum ex vite defluerit, Divini tamen Sanctificatione Mysteriorum efficitur Sanguis, non quidem visibiliter, sed operante (***) invisibiliter Spiritu Sancto. Unde*

(*) Quot verba tot tela, quibus Novatorum doctrina confoditur!

(**) S. Spiritum per Divinam suam Omnipotentiam in Eucharistia aliquid operari, ex Testimonio SS. Patrum, aliorumque Ecclesiæ Catholicæ Doctorum centies probatur. Edicant vero Protestantes! quid demum Dei Omnipotentia dignum in Eucharistia fiat, si vera Christi caro non ponatur? Nec eos juvat dicere: etiam in Baptismo

de & Sanguis & Corpus Christi dicuntur, Sæculum IX.
A. C. 859.
quia non quod exterius videntur, sed quod
interius Divino Spiritu operante facta
sunt, accipiuntur, & quod longe aliud per
potentiam invisibilem existant, quam vi-
sibiliter appareant. (*) Et rursus: Ex
his omnibus, quæ sunt hætenus dicta, mon-
stratum est, quod Corpus & Sanguis Chri-
sti, quæ Fidelium ore in Ecclesia perci-
piuntur, figura sunt secundum speciem vi-
sibilem; at vero secundum Substantiam
invisibilem vere Corpus & Sanguis Chri-
sti extant. Itaque prima quæstio, quam
pertractat Ratramus, non in eo sita est,
an Evcharistia sit vel figura, vel Res ipsa,
sed an præter Rem ipsam etiam figuram
contineat. (**)

Quæ-

Baptismo Dei omnipotentis Gratia operatur.
Nam in Baptismo quidem Deus omnipotens San-
ctificationem in homine Baptismum recipiente
operatur; at si totius Sacræ Antiquitatis testimo-
nia pensentur, in Evcharistia, priusquam a Chri-
stiano recipiatur, aliquid ab omnipotentia Dei
efficitur, quod nihil aliud quam vera & realis
JESU Christi præsentia esse potest.

(*) Hic iterum confutatur Cave, Transub-
stantiationem a solo Paschasio primum vulgatam
dicens.

(**) Nempe res ipsa Corpus & Sanguis JESU
Christi sunt, Figura autem species panis & vi-
ni.

Sæculum IX.

A. C. 859.

Mabil. præf.

n. 51. n. 119.

*Pasch. de**Corp. c. 1.*

p. 61.

Quæstio secunda in hoc vertitur; an Corpus JESU Christi in Eucharistia simpliciter idem sit, quod natum ex Virgine est. Id affirmaverat Paschasius, nixus testimonio S. Ambrosii. Sed hæc clarissima assertio nova visa est Rabano & compluribus aliis viris doctis, qui explicantes alia Patrum loca dicebant, duo JESU Christi Corpora esse distinguenda, Naturale, & Evcharisticum, id est, ut hodie loqui solemus, duos dari modos, quibus idem Corpus existit, unum Naturalem & sensibilem, alterum supernaturalem & Mysticum; nam Scriptores omnes de reali Præsentia consentiebant. In isto igitur sensu Ratramus dicit: *Corpus, quod sumpsit de Maria Virgine, quod passum fuit, quod sepultum, quod resuscitatum, erat verum Corpus, id est, visibile & palpabile; econtra Corpus, quod appellatur Mysterium Dei, non est corporale sed spirituale, unde etiam nec visibile nec palpabile.* Jam liquet, has duas Quæstiones circa modum explicandi existentiam Christi, non vero circa Mysterii Substantiam fuisse versatas. Ceterum fatendum in

ni. Imo etiam modus, quo Agnus Dei in Sacrificio Missæ sine sanguinis effusione immolatur, si cum morte cruenta in Cruce tolerata comparatur, figura est.

in Tractatu Ratrami occurrere formulas Sæculum IX.
A.C. 859.
loquendi duras & obscuras, quæ per loca clariora explicandæ sunt, quia Auctor in Communione Ecclesiæ nunquam non extitit.

§. LIII.

Scriptum Anonymi contra Paschasium.

Scriptum Anonymi contra Paschasium, *to. 6. Act. Ben. p. 591.*
quod habemus, duas Propositiones in ipsius Opere contentas impugnat; primam, quod Corpus Jesu Christi in Evcharistia sit idem, quod natum est e Virgine; alteram, quod Jesus Christus toties patiatur, quoties Missa celebratur. Nullibi apparet, Paschasium hanc posteriorem propositionem in medium attulisse; unde patet, istud solummodo ab Adversario ex doctrina Paschasis fuisse deductum. Anonymus vero ille Scriptum suum ita exorditur: *Cuncti Fideles credere debent, & confiteri, Corpus & Sanguinem Domini esse verum Corpus & verum Sanguinem. Quicumque hoc negat, infidelem se manifestat.* Tum post pauca interjecta; *his adjicio; cum Jesus Christus sit Veritas, & verus Agnus Dei, qui singulis diebus pro vita mundi Mystice immolatur, ita per consecrationem & omnipotentiam Spiritus Sancti panis in veram*

veram

Sæculum IX. *veram ipsius carnem & vinum in verum*
A. C. 859. *ipsius Sanguinem convertitur. (*) Quod*
usque adeo certum est, ut nulli Christiano-
rum de hac re dubitare liceat, & etiam
aliqui saniores Gentiles id sciant. Quip-
pe me olim in Regione Bulgarorum ver-
santem quidam ex primoribus paganorum
rogavit per amorem illius Dei, qui ex vi-
no Sanguinem suum fecisset, ne oblatum
mibi a se potum respuerem. Hinc conjici-
tur hunc Auctorem scripsisse ante Bulga-
rorum conversionem, quæ, ut videbimus,
sub Nicolao I. Papa secuta est. Ergo
Mabill. in sub Nicolao I. Papa secuta est. Ergo
præf. n. 59. Anonymus in suo Scripto asserit, Corpus
 Jesu Christi in Evcharistia esse quidem
 idem, quod natum ex Virgine, natura,
 sed non quoad speciem, id est, secundum
 nostrum loquendi modum, esse re ipsa
 idem, sed non quoad formam externam
 seu species sensibiles. A vero abluere
 non videtur, hoc Anonymi Scriptum esse
 epistolam Rabani ad Egil Abbatem Pru-
 miensem datam; quippe aliunde explo-
 ratum

(*) Quid ad hæc Protestans noster Fleurii In-
 terpres? hinc forsan tamdiu tergiversatur no-
 vam laboris sui partem edere. Nam hac Fleu-
 rii versione (etsi textum hinc & inde depraverit)
 Protestantium Doctrinam egregie confutat, &
 veram Catholicam Fidem nolens volens insigni-
 ter confirmat.

ratum est, Rabanum de hoc argumento ad eum scripsisse.

Sæculum IX.
A. C. 859.

§. LIV.

Rapinæ Normannorum.

Interea Normanni egregie latrocinabantur. Anno octingentesimo quinquagesimo nono loca ultra Scaldim populantur. Eodem anno Bataviam per Rheni ostia intrant. Alii per Samarum ingressi Monasterium S. Walarici, Ambianensem civitatem aliaque circumquaque loca rapinis & incendiis vastant. Hi vero, qui ad Sequanam morabantur, Noviodunum civitatem noctu aggressi Immonem Episcopum cum aliis Nobilibus tam Clericis quam Laicis capiunt, vastata civitate secum abducunt, & in itinere interficiunt. Qui etiam ante duos menses Ermenfridum Episcopum Bellovacensem, & anno præterito Blatfridum Episcopum Bajocensem necaverant. Monachi S. Dionysii in Francia metu eorumdem Danorum Reliquias SS. Martyrum in Villam sui juris Novientum in agro Mauripensi positam devexerunt. Alii Danorum piratæ longo maris circuitu, inter Hispanias videlicet & Africam navigantes, Rhodanum ingrediuntur, depopulatisque quibusdam civitatibus & Monasteriis, in Insulâ, quæ *Camarias* dicitur, sedes ponunt.

Ann. Bert.
859.

Ann. Bert.
850.

Sæculum IX. ponunt. Inde aduerso Rhodano usque
A. C. 859. Valentiam inuēti vastata tota circum-
 jacente regione in sua tabernacula re-
 vertuntur. Ex Provincia in Italiam us-
 que in Hetruriam progressi Pisas, alias-
 que urbes capiunt, diripiunt, evertunt.

Id. 851. Mense Januario anno octingentesimo
Aimon. Pa- sexagesimo primo Normanni, qui Sequa-
ris. l. 5. 6. nam tenebant, Parisios usque penetrant
 & quædam prædia ad Monasterium S.
 Germani de pratis pertinentia incen-
 dunt. Monachi assumpto corpore S. sui
 Patroni in suas ditiones, quas in terra
 Briensi possidebant, fugerant, viginti
 tamen ad celebrandum in die Paschatis
 Officium remanentibus, quos in Eccle-
 sia Matutinos cantantes invadunt Bar-
 bari. Sed fuga hostium manibus præ-
 ter spem erepti sunt, quod prodigio
 factum crediderunt.

FINIS TOMI XI.



INDEX